BREVIS EXPLICATIO

PSALMORUM SELECTORUM

usui clericorum in Seminario Tridentino accommodata.

AUCTORE

JOSEPHO NIGLUTSCH

S. Theologiae Doctore et Professore.

Cum Approbatione Celsissimi ac Reverendissimi Ordinarii.

TRIDENTI

TYPIS JOANNIS SEISER

1895.

INTRODUCTIO.

SS. Patres nunquam cessarunt in divinis litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris in locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum coelestium vel perennes fontes salutis vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur....... Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris litteris praesto sunt adjumenta, copiosius in psalmis celebrata. Ita P. Leo XIII. in litteris encyclicis *Providentissimus Deus* de d. 18. Novemb. a. 1893. Propter hanc eximiam utilitatem librorum ss. S. Pontifex in iisdem litteris encyclicis praesertim viros ecclesiasticos ad diligens studium s. Scripturae gravibus verbis exhortatur inter alia dicens: *Optamus et cupimus, ut plures patrocinium ss. litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit majorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.* Hoc monitum sine dubio per eminentiam de illo libro valet, qui ab omnibus ecclesiae ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendus et mente pia considerandus est i. e. de libro psalmorum. Ideo s. Augustinus dicit: *si sacerdos Psalterium ignorat, nomen sacerdotis vix constabit in eo.* Tamen Bellarminus pro suo tempore advertit, Psalterium esse librum, *quem ecclesiastici omnes quotidie recitant et pauci admodum intelligunt;* forsitan similem observationem adhuc hodiedum facere posset. Talibus sacerdotibus et clericis s. J. Chrysostomus (homil. ad ps. 140) acclamat: *Vos, inquit, qui ab infantia ad extremam usque senectutem psalmum hunc meditantes nihil aliud quam verba perpetuo tenetis, quid*

aliud facitis, nisi quod et thesauro absconso assidetis et obsignatam crumenam circumfertis et nec curiositate incitati estis, ut diceretis: quid est, quod dicitur? Sicut ergo recitatio ita etiam studium psalmorum pro ministris ecclesiae in certo sensu **officium** est. Et hoc studium jam clerici in Seminario pertractare debent, ut Deum mente et corde non tantum labiis laudare possint, quum saepe officiis ss. intersint et mox ad ss. Ordines promovendi sint, in quibus constituti ad quotidianam recitationem psalmorum obligantur. Ex hac causa brevem expositionem psalmorum graviorum et difficiliorum ad usum imprimis clericorum in Seminario Tridentino typis imprimendam curavi. Sed ut singuli psalmi melius et facilius intelligantur, nonnullas notitias generales, quae omnes psalmos in universum attingunt, praemittendas esse censeo. Ideo ex ordine tractandum est de psalmorum nominibus, divisione, numeratione, inscriptionibus, auctoribus et collectoribus, de eorum argumento et distinctione juxta argumentum, de textu originali et versionibus, de usu practico pro vita spirituali, de usu liturgico, de forma poetica, de praecipuis commentariis et de nonnullis regulis interpretandi versionem latinam Vulgatam.

§ I. Nomina psalmorum.

In lingua hebraica psalmi generatim dicuntur *t^e^hillîm* (hymni) vel *t^e^fillôt* (preces); si de singulis psalmis in specie sermo fit, nomen usitatissimum est: *mizmôr*=canticum, alii psalmi vocantur *shîr*=carmen lyricum, vel *maskîl*=carmen instructivum seu didacticum. Reliqua nomina minoris sunt momenti vel omnino non intelliguntur.

In versione graeca tota collectio psalmorum dicitur *βιβλὸς ψαλμῶν* (Luc. 20, 42). Vox *ψαλμός* derivatur a verbo *ψάλλειν*= *summis digitis chordas musicorum instrumentorum pulsare* (Suidas), ideo *ψαλμός*=chordarum pulsus, sed significatione translata carmen ad fidium pulsum cantatum, et dein generatim carmen religiosum designat. A verbo *ψάλλειν* derivatur etiam vox *ψαλτήριον* =iustrumentum chordarum; serius istud vocabulum adhibebatur ad indicandam collectionem psalmorum, et in linguam latinam quoque translatum est (psalterium). Alia nomina graeca psalmorum sunt: *ᾆσμα, ᾠδή, συνήσεως* scil. *ᾠδή, μαρτύριον* (testimonium), *προσευχή, αἶνος ᾠδῆς, αἴνεσις.*

In versione latina praeter vocem *psalmus* sequentia nomina occurrunt: *canticum, carmen, canticum laudis, laudatio, oratio, intellectus, testimonium.* Tota collectio psalmorum in versione Vulgata *Psalmorum liber*, a concilio Tridentino *Psalterium* nominatur.

§ 2. Divisio et numeratio psalmorum.

Totum Psalterium, quod est collectio 150 carminum religiosorum, jam antiquitus in quinque partes seu libros dividebatur, quorum quattuor priores speciali doxologia clauduntur (ps. 40, 14. 71, 18. 19. 88, 53. 105, 48.); ultimus psalmus libri V. ipse totus est doxologia. Liber I. psalmos 1-40, l. II. ps. 41-71., l. III. ps. 72-88, l. IV. ps. 89-105, l. V. ps. 106-150. complectitur. Haec divisio a tempore antiquissimo derivatur et non est arbitraria, sed probabiliter in successivis collectionibus psalmorum suam rationem habet.

Ratio numerandi psalmos in vers. Alex et Vulg. aliquatenus diversa est ab illa in textu hebraico. A ps. 1-8. omnes textus concordant, sed psalmus, qui in Vulg. est 9., in textu masoreth. in duos (9. et 10.) dividitur, idem obtinet in ps. 113. Vulgatae, qui Hebraeis est 114. et 115; e contra ps. 114. et 115. Vulgatae in textu hebr. in unum nempe 116. conjunguntur; et sic etiam ps. 146. et 147. Vulgatae Hebraeis unus ps. est nempe 147. Ideo generatim dici potest, quod relate ad psalmos a 1-8. et a 147-150. omnes textus concordant, a ps. 9-146. autem text. hebr. semper uno numero praecedit, de qua regula tantum duae exceptiones faciendae sunt, quod sequens collatio demonstrat.

Vers. 70 et Vulg.		Text. hebr.	Vers. 70 et Vulg.		Text. hebr.
Ps. 1-8.	=	1-8.	Ps. 114. et 115.	=	116.
Ps. 9.	=	9. et 10.	Ps. 116-145.	=	117-146.
Ps. 10-112.	=	11-113.	Ps. 146. et 147.	=	147.
Ps. 113.	=	114. et 115.	Ps. 148-150.	=	148-150.

§ 3. Psalmorum tituli.

Plerique psalmi titulum praefixum habent; sed in textu hebr. circiter 30 psalmi titulo carent seu orbi sunt, uti dicunt Hebraei, in Vulg. autem, si inscriptio *Alleluja* qua titulus consideratur, tantum duo psalmi titulo destituti sunt. In istis titulis seu inscrip-

tionibus plerumque auctor psalmi nominatur, non raro occasio historica vel genus psalmi indicatur, nonnunquam instrumentum musicum aut melodia, tempus quo psalmus cantandus erat et usus liturgicus assignantur. — Auctoritas harum inscriptionum a rationalistis nostri temporis communiter impugnatur. Sed nos sequimur in hac re traditionem antiquam et argumenta historica, quae pro earum authentia militant. Ideo contendimus, inscriptiones esse authenticas, in quantum textus genuinus conservatus est. S. Thomas putat, inscriptiones ab Esrdra psalmis fuisse appositas; at sine dubio major pars earum ab ipsis auctoribus derivatur, quia generatim apud Orientales in usu est, ut ipsi auctores nomina sua carminibus apponant. Nonnullae autem inscriptiones a collectoribus psalmis additae esse videntur. De auctoritate illarum inscriptionum, quae tum in textu masoreth. tum in versionibus antiquissimis inveniuntur, non est dubitandum. Illae vero inscriptiones, quae vel tantum in text. masoreth. vel tantum in vers. Alex. et Vulg. occurrunt, per se dubiae auctoritatis sunt, et ex aliis indiciis criticis earum auctoritas confirmari debet. Et revera sana adhibita critica plures inscriptiones, quae tantum in vers. Alex. et Vulg. leguntur, authenticae esse videntur. Quod autem isti tituli in text. hebr. non amplius inveniantur, ex errore librariorum, quorum incuria e textu exciderint, explicandum est. Quod attinet illa parva additamenta in titulis, quae solum in Vulg. occurrunt, ea jure merito rejiciuntur. — Singulas inscriptiones data occasione in expositione singulorum psalmorum explicabimus.

§ 4. Auctores psalmorum.

Plures ss. Patres et theologi antiquiores putaverunt, omnes psalmos Davidem habere auctorem. Sed haec sententia jam ex argumento et inscriptionibus multorum psalmorum infirmatur. Ideo s. Hieronymus dicit: *sciamus errare eos, qui omnes psalmos David arbitrantur et non eorum, quorum nominibus inscripti sunt* (ep. 140. ad Cyprianum n. 4). Nunc temporis ista sententia ab omnibus exegetis derelicta est; imo Protestantes rationalistici vix unum psalmum Davidicum esse concedunt, nam solis argumentis internis inhaerent, quae unusquisque ad proprium arbitrium sibi efformat. Nos autem in hac re principia in litteris encyclicis P. Leonis XIII. supra citatis enuntiata sequimur ergo partem principalem conce-

dimus argumentis historicis. *Perperam enim,* ita inquit Leo XIII., *et cum religionis damno inductum est artificium nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex solis internis uti loquuntur rationibus cujuspiam libri origo, integritas, auctoritas dijudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cujusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam nisi ad quandam confirmationem possint advocari.* Ex hac causa non quidem omnes psalmos Davidi attribuimus, utique autem illos, qui ex inscriptionibus genuinis Davidici esse ostenduntur. In textu masoreth. 73 in vers. Alex. et Vulg. 85 psalmi Davidi adscribuntur; insuper duo alii psalmi nempe II. et probabiliter etiam I. in Actibus Apostolorum (4, 25 sq. coll. cum 13, 33) Davidis esse dicuntur. Et quia ex illis psalmis, qui tantum in vers. Alex. et Vulg. Davidi attribuuntur, certe saltem nonnulli ab eo derivantur, et quia forsitan etiam unus vel alter ps. anonymus Davidicus est, ideo contendi potest, circ. 80-90 psalmos ab ipso compositos esse. Quum res ita se habeat, David juremerito *egregius psaltes Israel* (II. Reg. 23, 1) et psalmorum collectio *Psalterium Davidicum* nominatur juxta tritum axioma: *a parte potiore fit denominatio.*

Praeter Davidem adhuc plures alii auctores psalmorum in titulis indicantur. Sic in titulo ad ps. 89. **Moyses** uti auctor nominatur; **Salomoni** in text. hebr. duo ps. nempe 71. (72.) et 126. (127.) adscribuntur, in Vulg. et 70 autem tantum unus (126). Decem psalmi nempe 41. 43-48. 83. 84. 86. in omnibus textibus **filiis Core** *(hbr. Corach)* i. e. posteris illius Core, cujus terribilis interitus Num. cap. 16. narratur, attribuuntur; et sine dubio etiam ps. 42., qui cum 41, conjungi debet, ab uno ex *filiis Core* compositus est. In istis psalmis Corachitarum non nomen proprium auctoris indicatur, sed tantum nomen familiae; exceptio forsitan habetur relate ad ps. 87., si ille Heman (Eman), qui uti auctor nominatur, ad familiam Core pertinebat, prout nonnulli putant. Duodecim psalmi nempe 49. 72-82. adscribuntur **Asapho,** praefecto cantorum in sanctuario (I. Paral. 15, 19; 16, 5; II. Paral. 29, 30); attamen nonnulli ex his psalmis certe non ab Asapho patre, sed a posteris ejus derivantur, nam recentioris originis sunt, ut ex eorum argumento elucet, e. gr. ps. 73. et 75. Cl. Patrizi (in opere: Cento Salmi etc., Romae 1875, p. 20) suspicatur, etiam psalmos

anonymos 95 (?). 104. et 105. esse Asaphicos, quod ex I. Paral. 16, 7 sqq. demonstrare vult. Auctor psalmi 87. **Eman** (ex filiis Core?) et psalmi 88. **Ethan** nominatur; ambo erant praefecti cantorum in sanctuario (I. Paral. 15, 19; 25, 4; II. Paral. 35, 15). Ps. 136. forsitan a **Jeremia** derivatur. Utrum autem ps. 145. ab Aggaeo et Zacharia compositus sit, quibus a vers. 70 et Vulg. attribui videtur, valde dubium est. In textu masoreth. circiter 50, in vers. graeca et latina circ. 35 psalmi anonymi sunt.

§ 5. Psalmorum collectiones.

Praesens collectio psalmorum non uno eodemque tempore sed pedetentim spatio circiter 600 annorum (circ. ab a. 1040-400 a. Chr.) exorta est; nam ex antiquissima divisione Psalterii in quinque libros cum magna probabilitate concludi potest, quinque diversas psalmorum collectiones illo spatio temporis paulatim factas esse. Prima collectio sine dubio jam ab ipso Davide facta est, postquam translata arca foederis in montem Sion cultum divinum ordinavit (I. Paral. cap. 16); haec collectio fere omnes psalmos libri I. continebat. Secundam collectionem probabiliter Salomon confecit, quando post aedificationem templi cantum s. de novo ordinavit (II. Paral. 5, 11 sqq. 7, 6); haec collectio psalmos libri I. et majorem partem II. libri complectebatur. Subscriptio ad hanc collectionem adhuc in nostro Psalterio ad finem psalmi 71. invenitur (v. 20.: *defecerunt laudes David, filii Jesse*). Tertia collectio verosimiliter a tempore regis Ezechiae (727-698) derivatur, qui cultum divinum restauravit et magno zelo promovit atque proprium collegium virorum doctorum ad colligendos libros ss. instituit (Prov. 25, 1). Haec collectio psalmos prioris collectionis et majorem partem ex libro III. praesertim psalmos Asaphicos in se comprehendit (II. Paral. 29, 30). Quarta collectio, quae psalmos tertiae collectionis et plurimos ex IV. libro complectebatur, non immerito attribuitur regi Josiae (641-610), qui in cultu divino et cantu s. instaurando assiduus erat (cf. II. Paral. 35, 15). Demum quinta et ultima collectio omnes 150 psalmos complectitur ideoque a nostro Psalterio non distinguitur. Haec collectio juxta sententiam communem ss. Patrum et interpretum catholicorum unitis curis Esdrae et Nehemiae attribuenda est; nam Mach. 2, 13. narratur, Nehemiam (sine dubio simul cum Esdra) libros propheticos et psalmos *(τά τοῦ Δαυίδ)* collegisse in unum.

Cl. Patrizi autem putat, ultimam psalmorum collectionem a Juda Machabaeo factam esse (l. c. p. 3); nam ipse contendit, psalmos 43. 73. 78. 93. derivari ex tempore Machabaeorum; idem dicit cl. Palmieri saltem de ps. 73 (in opere: *de veritate historica libri Judith*, Galopiae 1886, p. 53). At haec sententia non tantum uti contraria communi traditioni sed etiam ex eo rejicienda est, quod in vers. graeca, quae certe ante tempus Machabaeorum exorta est, jam omnes 150 psalmi continentur.

§ 6. Psalmorum argumentum et distinctio juxta argumentum.

Psalterium est quasi compendium et summa revelationis V. T.; quidquid enim Moyses vel in historia tradidit vel in lege praecepit, quidquid ceteri prophetae vel exhortando ad virtutes vel praedicendo futura scripserunt, id totum in psalmis brevissime comprehenditur. Ad rem S. Basilius (homil. in ps. 1). dicit: *Aliud prophetae docent, aliud historici, aliud lex, aliud exhortatio illa, quae in Proverbiis legitur: at quidquid in illis utile est, hic unus psalmorum liber continet. Vaticinatur futura, praeterita in memoriam revocat, leges dat vitae, suggerit, quae agenda sunt: quare commune quoddam bonarum doctrinarum promptuarium est, ex quo quidquid cuilibet utile est, haurire licet.*

Unusquisque ps. quidem suum proprium argumentum et finem habet, at si psalmorum argumentum in genere consideratur, dici potest: objectum, quod in iis pertractatur, est triplex nempe vel Deus vel homo in relatione ad Deum vel Deus-homo. Ergo objectum principale psalmorum est **Deus**, nam in iis praeprimis divina attributa et opera et beneficia hominibus collata multis modis celebrantur. Aliud argumentum, de quo psalmi agunt, est **homo** scil. ejus miseria, debilitas, pravitas, indigentia et dependentia a Deo. Nonnulli demum psalmi agunt de **Deo-homine** i. e. de futuro Messia ejusque opera, passionem, mortem vicariam, glorificationem, ejus regnum aeternum et universale praedicunt et describunt.

Haec valent de libro psalmorum generatim considerato. Attamen si singuli psalmi considerantur et inter se comparantur, apparet eos juxta diversum argumentum in plures classes seu categorias distingui posse. Si ergo psalmi, qui simile habent argumentum, ad unam classem revocantur, tunc sequentes species psalmorum distinguuntur: 1) **hymni** seu psalmi laudatorii, in quibus Deus

laudatur et celebratur vel propter infinitas ipsius perfectiones vel propter beneficia toti populo aut singulis hominibus collata;

2) **psalmi deprecatorii,** qui preces continent ad auxilium divinum in necessitatibus vel publicis vel privatis obtinendum;

3) **psalmi poenitentiales,** in quibus affectus animae poenitentis i. e. dolor et detestatio peccatorum atque propositum emendationis exprimuntur et venia peccatorum petitur;

4) **psalmi elegici,** in quibus querelae de miseriis humanis vel communibus vel specialibus proferuntur, in fine autem animus ad spem et fiduciam in Deo ponendam excitatur, qua de re etiam **consolatorii** nominari possunt;

5) **psalmi imprecatorii,** in quibus humiliatio et castigatio adversariorum theocratiae expostulatur;

6) **psalmi didactici** seu **sapientiales,** qui agunt a) de vitando malo et faciendo bono (ps. 1); *b)* de timore Dei utpote initio verae sapientiae (ps. 110. 111); *c)* de observatione legis divinae (ps. 18. 118); *d)* de vanitate vitae humanae et rerum hujus mundi (ps. 38. 48. 89); *e)* de officiis principum (ps. 100);

7) **psalmi historici,** qui facta Dei mirabilia tempore antiquo in favorem populi Israelit. patrata recensent et populum ad gratiarum actionem excitant;

8) **cantica graduum** (in hebr. ascensionis), quae praesertim desiderium et amorem sanctuarii et urbis s. exprimunt et in solitis peregrinationibus ad templum cantabantur (ps. 119-133);

9) **psalmi Messianici,** qui in directe et indirecte seu typice Messianicos dividuntur. Directe seu exclusive Messianici ii psalmi dicuntur, qui jam in sensu litterali et proxime de Messia vel de ejus regno agunt. Tales juxta sententiam communem interpretum catholicorum sunt sequentes psalmi: 2. 21. 44. 71. 109; plerique etiam psalmum 15. (quoad II. partem) huc referunt. Indirecte seu typice Messianici illi psalmi nominantur, qui in sensu quidem litterali de aliqua persona vel re vel institutione V. T. agunt, indirecte autem et mediate ad Messiam referuntur, quatenus illa persona vel res vel institutio typum Christi vel regni ipsius gerit. Tales psalmi plures dantur et praesertim ii huc pertinent, qui in N. T. (praeter supra nominatos) allegantur et aliquo modo ad Christum referuntur, e. gr. psalmi: 39. 40. 68. 88. 108. 117. etc. Nonnulli adhuc aliam speciem psalmorum Messianicorum distinguunt, quos vocant idealiter Messianicos; in istis quidem generatim de

homine justo agitur sed ita, ut plenum et perfectum sensum non assequantur, nisi modo quodam singulari etiam de Christo intelligantur, qui est justus per eminentiam, homo perfectissimus et exemplaris; ad hanc classem pertinet e. gr. ps. 8.

Relate ad numerum psalmorum, qui ad Messiam referendi sint, interpretes inter se non consentiunt; attamen id certum est, in hac re non temere et modo arbitrario procedendum sed ad certa criteria respiciendum esse. Criteria, ex quibus sensus Messian. alicujus psalmi dignosci possit, sunt praesertim sequentia: *a)* allegatio in libris ss. N. T.; *b)* consensus unanimis ss. Patrum; *c)* traditio Judaeorum; *d)* loci paralleli; *e)* materia substrata seu ipsum psalmi argumentum. Duo priora criteria plenam fidem faciunt et certitudinem parant, reliqua autem solummodo probabilitatem efficiunt.

Notandum est, dari psalmos cum argumento mixto, qui ad unam solam classem revocari non possunt, sed ad duas vel plures classes pertinent. Sic dantur psalmi qui simul laudatorii et deprecatorii sunt, e. gr. ps. 39; porro habentur psalmi, in quibus vaticinia Messianica cum imprecationibus permixta sunt e. gr. ps. 68., vel psalmi elegici et simul didactici etc. Ideo impossibile esset, totum Psalterium juxta supra indicatas categorias in singulas classes dividere.

§ 7. Textus originalis et versiones antiquae.

Omnes psalmi ab origine in lingua hebraica conscripti sunt. Textus hebraicus psalmorum in integritate quidem substantiali et dogmatica ad nos pervenit, non autem in integritate critica. In confesso est apud omnes, quod inde a tempore Davidico usque ad tempus Esdrae plures mutationes in psalmis ad usum liturgicum factae sunt. Sic non raro carminibus originalibus parva addimenta adjuncta vel inserta sunt, quod praesertim in exilio babylonico factum est cf. ps. 33, 23. 50, 20 sq. 68, 33 sqq. Nonnunquam ad eundem usum liturgicum duo psalmi in unum conjuncti sunt vel vice versa unus in duos divisus est (ps. 41. et 42) item unus idemque ps. in recensione ampliore et breviore occurrit (ps. 13. et 52) vel pars alicujus psalmi prioris serius uti proprius ps. repetitur (ps. 39, 14-18=ps. 69). Etiam mutationes linguisticae factae sunt, quod praecipue de nominibus Dei valet, nam in non-

nullis libris fere tantum nomen Jahvê (l. IV. et V.), in aliis fere semper nomen Elohim occurrit (l. II.). Sed istae mutationes plerumque non uti corruptiones textus considerari debent, quia utplurimum a viris inspiratis factae esse videntur. Ideo illum textum, quem ultimus psalmorum collector (Esdras vel Nehemias) posuit, uti textum originalem considerare possumus. Iste textus Esdrinus ex industria quidem non amplius mutatus esse videtur, at ex incuria et inscitia librariorum per decursum temporis in multis locis corruptus est, usquedum Masorethae opere suo textum (utique vario modo corruptum) quasi fixum reddiderunt. Textus masorethicus ergo quoad substantiam quidem textui originali conformis est, sed in non paucis rebus accidentalibus ab eo differt et multas lectiones corruptas exhibet, ex quibus plurimae at non omnes regulis criticis emendari possunt. In hac re bene meruerunt: J. B. de Rossi, *Variae Lectiones V. T.* (Parmae 1784-1788), Vol. IV. p. 1-88; Houbigant, *Notae criticae* etc. (Francofurti a M. 1777) Vol. II. p. 1-100; Bickell, *Carmina V. T. metrice* (Oeniponte 1882) p. 1-102., et alii plures.

Prima versio psalmorum ex textu hebr. est versio graeca 70 seu Alexandrina, quae probabiliter paullo post versionem Pentateuchi ergo adhuc saec. III. a. Chr. facta est. Textus, quem interpretes graeci prae oculis habuerunt, certe multo melior i. e. minus corruptus erat quam hodiernus text. hebr. Ideo haec versio, si incorrupta ad nos pervenisset, sine dubio textui masorethico longe praeferenda esset; sed etiam in hodierno statu textum originalem melius repraesentare videtur quam text. masoreth. Fere omnes allegationes psalmorum in N. T. juxta hanc versionem factae sunt. Si quaeritur, quaenam sit relatio versionis graecae ad text. masoreth., generatim responderi debet, quod relate ad substantiam omnino inter se concordant; attamen multae lectiones variantes inter utrumque textum occurrunt, quae autem substantiam rei non attingunt. Nam interpretes graeci ex textu non punctato transtulerunt, ideo vocabula non raro alio modo legerunt quam Masorethae; at etiam textus consonantium tunc temporis in non paucis locis a masorethico differebat. Criticae biblicae est inquirere et dijudicare relate ad singulos locos differentes, utrum lectio graeca an masoreth. praeferenda sit. Sed generatim contendi potest, saepius graecam lectionem masorethicâ meliorem esse. Etenim versio Alex. adaequata imago est textus hebraici tunc temporis exstantis scil.

serviliter litterae hebraicae inhaeret et proprietates eloquii hebraici plerumque omnino conservat. Utique textus primigenius hujus versionis per decursum temporis valde corruptus est; quare saec. III. p. Chr. tres praesertim viri allaboraverunt in isto textu corrigendo, scil. Origenes († 254), Lucianus M., presbyter Antiochenus († 312) et Hesychius, episcopus in Aegypto. Recensio Origenis (hexaplaris) in Palaestina, recensio Hesychii in Aegypto, illa Luciani ab Antiochia usque Constantinopolim in usu erat. Haec ultima textum correctiorem habet, sed in nulla editione psalmorum integra invenitur; vicinius ad istam recensionem accedit textus in Polyglottis Complutensibus.

Ex versione Alex. prima versio latina facta est, quae a s. Augustino *Itala* nominatur et *primis fidei temporibus* adscribitur (*de doctrina christ.* II. c. 11). Ex verbis s. Augustini et Tertulliani (contra Praxeam 5; de monogamia 11) concludi potest, versionem istam jam in prima medietate saeculi II. exstitisse; imo Psalterium utpote liber usitatissimus forsitan jam ad finem saeculi I. latine redditum est. Versio Itala est fidelis imago versionis graecae, ideo etiam illius proprietates scil. tum praestantiam tum defectus in se conjungit praesertim iisdem hebraismis referta est. Haec versio ad finem saec. IV. jam valde corrupta et in mala conditione critica erat; ideo s. Hieronymus rogatus a Damaso P. eam correxit, sed paucis tantum emendationibus applicatis, ne fideles recitationi psalmorum assueti confunderentur, uti ipse testatur: *Nos, inquit, emendantes olim Psalterium, ubicunque sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate lectoris studium terreremus* (epist. 106. ad Sunniam et Fretelam n. 12). Haec prima correctio versionis psalmorum facta a s. Hieronymo introducta est in ecclesia Romana ideo *Psalterium Romanum* nominatur; nunc temporis non amplius in usu est, nisi in officio ecclesiae Vaticanae, in Missali Romano, in Invitatorio, Antiphonis et Responsoriis nostri Breviarii. In ritu autem Ambrosiano Mediolani usque ad praesentem diem vetus Itala non correcta in usu est. Paucis annis post (c. a. 392) idem sanctus Doctor aliam recensionem seu emendationem veteris versionis confecit adhibita recensione hexaplari Origenis et consulto hincinde textu hebraico; haec altera correctio nomen accepit Psalterii Gallicani, quia primitus in ecclesiis Galliae introductum est. Hoc Psalterium etiam in nostram Vulgatam et in Breviarium Romanum receptum

est. De hac versione Bossuetus (*Dissertatio in psalmos* c. V. n. 27) dicit: *Sane confitemur, Vulgatae nostrae psalmorum versioni certe vetustissimae et vetustissimarum ecclesiarum auctoritate fultae inesse quendam pietatis spiritum persaepe etiam in verbis efficaciam singularem.* Ceterum stylus nonnunquam barbarus, incorrectus et obscurus est.

Demum serius s. Hieronymus praeter reliquos libros protocanonicos V. T. etiam Psalterium immediate ex textu hebraico transtulit; haec versio quidem magnum pretium scientificum habet et pro re critica summi momenti est, attamen in usum practicum non est recepta. Editio critica publicata est a Paulo Lagarde titulo: *Psalterium juxta Hebraeos Hieronymi,* Lipsiae 1874.

Pro re critica etiam versio Coptica, quae jam saeculo II. ex versione Alex. confecta est, valde aestimatur; nam ipsa repraesentat antiquiorem ideoque minus corruptum textum versionis graecae. Ex hac causa hodiernus textus versionis 70 et consequenter etiam textus Vulgatae ex versione Coptica nonnunquam emendari potest.

Post versionem Alex. antiquissima versio psalmorum immediata est Syriaca, quae dicitur Peshito (simplex); ista fere medium tenet inter text. masoreth. et vers. 70, nam nunc lectiones masoreth. nunc lectiones 70 sequitur. Versio Peshito probabiliter jam ex saeculo primo christ. derivatur, certe jam exstitit in prima medietate saeculi II.; ideo facta est ex forma textus hebraici antiquiore, quae minus corrupta erat, quam text. masoreth. In nonnullis locis majoris momenti Peshito apprime concordat cum versione graeca contra text. masoreth., e. gr. in ps. 21, 17*b*. et in ps. 109, 3*b*. At dolendum est, quod hucusque nondum habemus editionem hujus versionis ad trutinam sanae criticae revocatam.

§ 8. De usu practico seu de utilitate psalmorum pro vita spirituali.

Etiamsi singuli psalmi de regula ex occasione aliqua speciali exorti sint, tamen Spiritu s. disponente ita compositi sunt, ut indolem omnino universalem habeant atque pro omnibus hominibus, temporibus et locis adaptati sint. Psalterium simile est gemmae pretiosae, quae diversissimis coloribus resplendet et tamen una est. Non datur motus et affectus animi religiosi, qui in psalmis non sit expressus, non datur conditio aut circumstantia in vita

tum singulorum hominum tum totius ecclesiae, quae in s. psalmodia non resonet. Ideo s. Athanasius (epist. ad Marcellin. n. 10) de Psalterio dicit: *Psalmorum liber gratiam quandam habet singularem eximiumque aliquid observatu dignum. Nam ad alia, quae cum ceteris libris habet communia, hoc sibi proprium et admirandum habet, quod etiam uniuscujusque animi motus eorumque mutationes et castigationes in se descriptas et expressas contineat.... singulis in rebus quisque reperiet divina cantica ad nos nostrosque motus motuumque temperationes accommodata.* Argumentum psalmorum enuntiationem adaequatam offert pro omnibus indigentiis et affectibus animae humanae; sicut olim ab hominibus V. T. ex toto corde recitari poterant, eodem modo imo in sensu adhuc sublimiore nunc quoque ab hominibus christianis recitari possunt. *Psalmi enim non sui tantum temporis res enuntiant neque in eas solum aetates conveniunt, quibus scripti sunt, sed universis, qui in vitam venirent, Dei sermo consuluit, universae aetati ipse aptissimus est ad profectum* (S. Hilarius in ps. 118). Quare ministri s. ex hoc thesauro spirituali non tantum ad propriam vitam spiritualem promovendam sed etiam ad utilitatem fidelium haurire debent. Nam verbum psalmorum utpote verbum Dei admirabilem vim et efficaciam habet; in istis carminibus sacris pastor animarum et orator s. uberem materiam inveniet omnibus occasionibus, omnibus indigentiis fidelium adaptatam. *Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scil. orationem quantumvis nitentem luminibus languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei eandemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute.* (Litterae encycl. Leonis XIII. *de studiis scripturae s.*). Tali virtute divina praesertim etiam sermonem psalmorum pollere, non est dubitandum. Nam in psalmis innumera continentur motiva consolationis in tribulationibus, exhortationes virtutum, cautelae vitiorum, excitamenta ad fiduciam in providentia divina ponendam, innumerae protestationes amoris erga Deum et desiderii unionis cum Deo, innumerae preces pietate plenae. Ideo s. Ambrosius (Enarrat. in psalm. prolog.) in laudem Psalterii ita loquitur: *Certat in psalmis doctrina cum gratia simul. Quicunque legerit, habet quo propriae vulnera passionis spirituali possit remedio curare.*

Psalmus est sermo universorum, vox ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, clamor jucunditatis. Ab iracundia mitigat, a sollicitudine abdicat, a moerore allevat. Nocturna arma, diurna magisteria; scutum in timore, festum in sanctitate, imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiae. — Ex his omnibus elucet, Psalterium esse aurifodinam, ex qua pastor animarum in omnibus ministerii sui officiis haurire possit, scil. in sermonibus s., in catechesi puerorum, in confessionali, ad lectum aegrotorum etc.

§ 9. De usu psalmorum in liturgia V. et N. T.

Psalterium cultum et liturgiam antiquae et novae ecclesiae quam maxime promovebat et insigniebat, imo partem eximiam in liturgia V. T. constituebat et adhuc constituit in liturgia ecclesiae christianae. Jam ipse David cantores ex tribu Levi (4000 cf. I. Paral. 23, 5) instituit, ut in sanctuario cantu psalmorum Deum laudarent et celebrarent (I. Paral. 15, 16 sqq. 16, 4 sqq. 25, 1 sqq). Simile quid legitur de Salomone (II. Paral. 5, 12 sq. 7, 6), de regibus Ezechia (II. Par. 29, 25 sqq.) et Josia (II. Par. 35, 15). Etiam tempore postexilico cum officio s. et praesertim cum oblatione sacrificiorum cantus psalmorum conjunctus erat, uti elucet ex libris Esdrae et Nehemiae (Esd. 3, 10. Neh. 12, 24 sq.) et ex traditione Judaeorum. Nonnullorum psalmorum usus liturgicus ex titulis demonstrari potest, si nempe in illis indicatur dies, quo cantandi sint (cf. ps. 23, 1. 37, 1. 91, 1. 93, 1), vel species sacrificii, ad cujus oblationem cantari debeant (cf. ps. 37, 1. 69, 1), vel si apponitur vox *alleluja* aut *canticum graduum.* Sex psalmi (112-117), qui Hallel Aegyptiacum vocantur, in festis anniversariis decantabantur praesertim tempore paschali, dum agnus paschalis manducabatur; eadem occasione etiam psalmi 134. et 135 *(Hallel magnum)* recitabantur. *Cantica graduum* in peregrinationibus sacris canebantur.

Ex templo Judaeorum psalmodia transiit in ecclesiam chrislianam Christo ipso praeeunte. Chr. D. in ultima coena psalmos decantabat et *hymno dicto* abiit in montem Oliveti Mat. 26, 30.; postea in cruce pendens psalmum 21. recitabat (Mat. 27, 46), qui de ipsius passione agit. Exemplum Christi secuti sunt etiam Apostoli (cf. Act. 16, 25. Eph. 5, 19. Col. 3, 16); et hoc eo libentius fecerunt quia edocti a Christo redivivo (Luc. 24, 27. 33. 44 sq.)

et a Spiritu s. illustrati sensum sublimiorem psalmorum intelligebant. Ab Apostolis usus psalmorum transiit in cultum ecclesiae christianae tum publicum tum privatum. Jam tempore s. Hieronymi monachi et virgines s. quotidie ad horam tertiam, sextam, nonam, ad vesperum, media nocte et mane psalmos cantabant (S. Hieronymi epist. 22. ad Eustochium n. 37., epist. 130. ad Demetriadem n. 15). Ideo Psalterium jure merito liber precationum ecclesiae dici potest. Non celebratur officium divinum, quin etiam cantus psalmorum locum habeat. Recitantur psalmi vel partes psalmorum in celebratione Missae, in dispensatione Sacramentorum, in consecrationibus et benedictionibus ecclesiasticis, praecipue autem in horis canonicis, in quibus totum Psalterium per singulas ferias hebdomadis distributum est. Hanc celebritatem et usum frequentem psalmi propter indolem suam universalem et spiritum divinum, qui ex eis resonat, assecuti sunt.

§ 10. Forma poetica psalmorum.

Omnes psalmi tantum ad duplex genus poeticum revocari possunt, scil. ad genus lyricum et didacticum. Longe major pars psalmorum sunt cantica lyrica, reliqui autem pertinent ad carmina didactica. Poesis psalmorum ex triplici vel quadruplici capite ab oratione prosaica distinguitur: 1) rhythmo sententiarum, 2) rhythmo syllabarum seu specie quadam metri, 3) dictione sublimiore et exquisitiore, 4) aliis artificiis poeticis, quae nonnunquam accedunt.

1) **Rhythmus sententiarum** est artificium poesi hebraicae proprium, quod in eo consistit, quod quaelibet sententia in duo vel plura membra distribuatur, ita ut singulis partibus unius membri aliae partes analogae in altero membro correspondeant. Ideo iste rhythmus, qui est lex inviolabilis poeseos hebraicae, de regula **parallelismus membrorum** nominatur. Ratione argumenti triplex parallelismus membrorum distingui potest, nempe: *a)* synonymus, *b)* syntheticus, *c)* antitheticus. Parallelismus dicitur **synonymus**, si idem vel fere idem quod in primo membro enuntiatur, in secundo et sequentibus membris aliis verbis repetitur; haec repetitio autem non est mera tautologia, sed semper sententiam clariorem et magis perspicuam reddit. E. gr. in ps. 2, 3 sq.:

Dirumpamus vincula eorum,
et projiciamus a nobis jugum ipsorum.
Qui habitat in coelis irridebit eos,
et Dominus subsannabit eos.

In ps. 33, 2.: *Benedicam Dominum in omni tempore,*
semper laus ejus in ore meo.

Parallelismus **syntheticus** tunc habetur, si primum membrum secundo et sequentibus membris magis explicatur, evolvitur, confirmatur et continuatur. E. gr. in ps. 3, 5.:

Voce mea ad Dominum clamavi
et exaudivit me de monte sancto suo.

In ps. 50, 15.: *Docebo iniquos vias tuas,*
et impii ad te convertentur.

Demum parallelismus **antitheticus** tunc adest, si membrum membro opponitur, seu si inter primum et secundum membrum aliqua antithesis habetur seu oppositio. E. gr. in ps. 19, 9.:

Ipsi obligati sunt et ceciderunt,
nos autem surreximus et erecti sumus.

In ps. 31, 11.:

Multa flagella peccatoris:
sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Parallelismus antitheticus in psalmis rarius occurrit, frequentius invenitur in Proverbiis; jam natura sua ad distichum restringitur. In versibus autem synonymis vel syntheticis etiam tria vel quattuor membra i. e. tristicha et tetrasticha occurrere possunt et ita quidem, ut vel omnia membra inter se sint synonyma aut synthetica vel ut alternatim membra synonyma et synthetica sibi succedant. E. gr. in ps. 1, 1.: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,*
et in via peccatorum non stetit,
et in cathedra pestilentiae (hb. derisorum) non sedit.

In ps. 26, 3.: *Si consistant adversum me castra,*
non timebit cor meum;
si exurgat adversum me proelium,
in hoc ego sperabo. Cf. ps. 32, 13 sq.

2) Antiqui scriptores judaici, uti Philo et Jos. Flavius, item plures ss. Patres e. gr. Hieronymus, Augustinus, Eusebius, Isidorus contendunt, in poesi hebraica inveniri non tantum rhythmum sententiarum sed etiam rhythmum syllabarum seu metrum poeticum; at sententiam suam exemplis non illustrant. Ex eo quod scriptores antiqui tum judaici tum christiani ita asseveranter hoc confirmant juremerito concludi potest, isti sententiae aliquid veri subesse. Ideo diversis temporibus viri docti in hanc quaestionem studia sua contulerunt et diversa systemata metri hebraici in medio

posuerunt. Attamen nullum ex ejusmodi systematis hucusque universalem comprobationem invenit. Maximam probabilitatem habet systema a cl. Bickell in opere: *Carmina V. T. metrice* (Oeniponte 1882) propositum et exemplis illustratum. Ex poesi syriaca Bickell conjecit, Hebraeos idem habere metrum sicut Syri. Ergo juxta ipsius sententiam in poesi hebraica adest revera rhythmus syllabarum seu metrum, syllabae autem non sunt dimetiendae ex quantitate (sicut in lingua latina et graeca), sed tantum numerandae sunt accentu ita observato, ut syllaba tono instructa cum syllaba non accentuata perpetuo alternet; ideo non dantur alii pedes metrici quam jambi et trochaei tonici. Versus, qui parem syllabarum numerum habent, rhythmo trochaico, alii (cum numero impari) jambico fluunt. Longe frequentissimus est versus jambicus heptasyllabus; rariores sunt versus 4, 5, 6, 8, 10, 11 et 12 syllabarum. Versus seu stichi cum incisis seu membris sententiarum semper coincidunt. Hoc systema cl. Bikellii jam a pluribus viris doctis comprobatum et adoptatum est et certe magnam probabilitatem prae se fert; sed quod attinet ejus applicationem ad singulos psalmos, non pauca adhuc dubia remanent, quia in nonnullis locis difficile est, lectionem genuinam invenire et quia punctatio masorethica non raro falsa est.

Psalmi singuli in suas strophas dividi possunt, quae autem non semper aequales, (homostichae) sed nonnunquam diversae amplitudinis (mixtae) sunt. Interdum psalmista primum vers. quasi praeludium praemittit et strophas aequales adnectit, vel psalmum ab epiphonemate incipit eoque terminat, quod separatim ponitur nulla habita ratione divisionis strophicae. Ceterum distingui potest divisio strophica juxta metrum et divisio juxta argumentum; una et altera divisio saepissime at non semper in idem recidit. Criteria, quibus singulae strophae inter se secernuntur praeter metrum sunt: *a)* versus intercalares, e. gr. in ps. 41 + 42. 45. 56. 106 etc.; *b)* nonnunquam vox hebr. *selâ* (pausa?) e. gr. in ps. 3. et 83.; *c)* argumentum psalmi, quia de regula in unaquaque stropha cogitatio quaedam specialis pertractatur, e. gr. in ps. 40.

3) Elocutio seu dictio poetica psalmorum in multis distinguitur a stilo prosaico. Nam usurpantur vocabula rariora et exquisitiora, multae adhibentur imagines, similitudines, allegoriae, hyperbolae et aliae figurae sermonis poetici. Istae similitudines et figurae poeticae vel a rebus naturalibus vel a vita quotidiana, vel ex

historia s. vel ex institutionibus theocraticis desumuntur. Paucis verbis poesis psalmorum omnibus illis ornamentis linguisticis gaudet, quibus generatim dictio poetica Orientalium eminet.

4) In nonnullis psalmis adhuc alia artificia poetica inveniuntur, scil. assonantiae, alliterationes, homoeoteleuta, paronomasiae et praesertim s. d. alphabetismus. Alphabetismus in eo consistit, quod singulorum stichorum aut versuum aut stropharum litterae initiales juxta ordinem Alphabeti hebraici dispositae totam litterarum seriem a prima usque ad ultimam exhibent. Ideo isti psalmi alphabetici juxta numerum litterarum hebraicarum ex 22 stichis vel versibus vel strophis constant. Sic e gr. 22 stichis constant psalmi 110. et 111., 22 versibus constat ps. 33., ps. autem 118. compositus est ex 22 strophis, quarum unaquaeque octo versus cum eadem littera incipientes habet; ergo in 1. str. quilibet vers. incipit cum littera Aleph., in 2. str. cum l. Beth, in 3. str. cum l. Gimel etc. Iste alphabetismus praecipue ad memoriam juvandam adhibitus esse videtur. Ordo alphabeticus in hodierno textu hebraico nonnunquam perturbatus vel mancus est, attamen hincinde consultis versionibus antiquis restitui potest, e. gr. in psalmis 24. 37. et 144. — Praeter psalmos alphabeticos dantur adhuc psalmi alphabetizantes, uti dicuntur, in quibus non quidem illa series continua litterarum Alphabeti observatur, at numerus 22 versuum occurrit juxta numerum litterarum Alphabeti hebraici. Tales sunt e. gr. psalmi 37. et 48.

§ II. De praecipuis commentariis in librum psalmorum.

Psalmorum expositiones innumerae factae sunt per decursum temporis; nos tantum nonnullos principaliores ex commentariis catholicis h. l. recensemus.

A) **Commentarii patristici.** Ex tempore patristico praecipue sequentes psalmorum interpretes memoratu digni sunt: *Origenes:* Selecta in psalmos; *Eusebius Caes.*: Commentaria in psalmos; *S. Athanasius:* Espositio in psalmos, et: Epistola ad Marcellinum de interpretat. psalm.; *S. Basilius:* Homiliae (13) in aliquos psalm.; *S. J. Chrysostomus:* Expositio in ps. 3-12. 41-49. 110-117. 119-150.; *Cyrillus Alex.*: Explanatio in psalmos (incomplet.); *Theodoretus:* Ἑρμηνεία εἰς τοὺς ψαλμούς; *S. Hilarius* Pictav.: Tractatus super psalm.; *S. Ambrosius:* Enarrationes in 12 psalmos et: Ex-

positio ps. 118; *S. Augustinus:* Enarrationes in psalmos 150; *S. Hieronymus:* Epist. 28. 30. 34. 65. 106. 140., in quibus de nonnullis psalmis agitur: *Cassiodorius:* Expositio in Psalterium; *Pseudo-Beda:* De psalmorum libro exegesis.

B) **Commentarii medii aevi.** Ex hac periodo commemorari merentur: *Alcuinus:* Expositio pia et brevis in ps. poenit., in ps. 118. et in ps. graduales; *Walafr. Strabo:* Glossa ordinaria in psalmos; *Haymo Halberst.:* Explanatio in ps.; *Remigius Antissiod.:* Enarrationes in ps.; S. *Bruno Herbip.:* Expositio psalmorum; *Petr. Lombardus:* Commentarius in ps. Davidicos: *S. Thomas Aq.:* In 51 priores psalmos expositio (Parisiis, 1876).

Nota. Praedicta opera (excepto ultimo) inveniuntur apud *Migne:* Patrologiae cursus completus etc., Parisiis 1844 sqq.

C) **Interpretes recentiores (Saec. 16-18).** *Gilb. Genebrardus:* Commentarii in psalmos genuinum eorum sensum hebraismosque breviter aperientes (Parisiis 1577); *Cornel. Jansenius Gand.:* Paraphrasis in psalm. omnes Davidicos (Lugduni 1586); *Ant. Agellius:* Comment. in psalmos et in cantica (Romae 1606); *Joann. Lorinus:* Commentarii in psalmos (Lugduni 1612); *Rob. Bellarminus:* Explanatio in psalmos (Venetiis 1776); *Sim. de Muis:* Comment. litteral et hist. in omnes psalmos Davidis (Lovanii 1776); *J. B. Bossuetus:* Notae in psalm. cum dissert in l. psalm. (Lugduni 1691); *Aug. Calmet:* Comment. liter. in omnes ll. V. T. (Venetiis 1730), T. IV.

D) **Interpretes recentissimi (Saec. 19).** *P. Schegg:* Die Psalmen, ed. 2., Monachii 1857; *V. Thalhofer:* Erklärung der Psalmen, ed. 4., Ratisbonae 1880; *Reinke:* Die messianischen Psalmen, Giessen 1857; *Fr. X. Patrizi:* Cento Salmi tradotti letteralmente dal testo ebraico e commentati, Romae 1875; *C. M. Curci:* Il Salterio volgarizzato dall' Ebreo ed esposto in note esegetiche e morali, Romae 1883; *M. Wolter:* Psallite sapienter, 5 vol., ed. 2., Friburgi Brisg. 1891-1894; *M. Franchini:* Riflessioni sui Salmi di David, 5 vol. in 8., Mutinae 1889; *Melch. Mlcoch:* Psalterium seu liber psalmorum, Olomucii 1890; *G. Hoberg:* Die Psalmen der Vulgata Friburgi Brisg. 1892; *Frid. Raffl:* Die Psalmen nach d. Urtext übersetzt u. erklärt, vol. III., Friburgi Brisg. 1892.

§ 12. Nonnullae regulae de interpretatione psalmorum.

Psalterium ad difficiliores libros s. Scripturae pertinet; praesertim autem versio latina psalmorum, quae in nostra editione

Vulgata habetur, tum propter frequentes hebraismos tum propter duritiam stili et alias proprietates linguisticas non raro perdifficilis est intellectu. Ideo non superfluum esse videtur nonnullas regulas hermeneuticas proponere, quae ad faciliorem psalmorum intelligentiam conducunt.

1. Hodierna psalmorum divisio in versus et interpunctio utpote quae non ab auctoribus ss. derivatur sed omnino recentioris originis est, non raro falsa est et nexum verborum perturbat; ideo ad genuinam expositionem requiritur, ut justa divisio restituatur et recta interpunctio adhibeatur.

2. Parallelismus membrorum synonymus et antitheticus egregium offert subsidium hermeneuticum ad verum sensum inveniendum. Nam ea est parallelismi indoles, ut eadem cogitatio in singulis membris aliis verbis repetatur aut cogitatione opposita illustretur; ideo uno membro intellecto facile ad intelligentiam alterius membri correspondentis pervenire possumus. Ex hac causa sequens regula exegetica statuenda est: id quod in uno membro clarum et perspicuum est, valet pro norma, juxta quam alterum membrum parallelum explicari potest. Ergo in expositione psalmorum imprimis parallelismus respiciendus, et si perturbatus fuerit restituendus est. De investigando et restituendo parallelismo praesertim bene meruit cl. Bickell in op. cit. *Carmina V. T. metrice*, et in versione psalmorum germanica *(Dichtungen der Hebraeer. III. Der Psalter)*, quae juxta leges parallelismi et metri hebraici exarata est.

3. In lingua hebr. tantum duae formae dantur ad determinanda tempora scil. praeteritum et futurum seu potius perfectum et imperfectum (aorist.). Istis duabus formis etiam conjunctivus et optativus indicari debet. Ideo interpreti saepe difficile est investigare, quale tempus et qualis modus intelligatur; quod tantum ex contextu et aliis criteriis hermeneuticis cognosci potest. Versio psalmorum Alex. et post eam nostra Vulgata plerumque textum hebr. serviliter reddunt; ex hac causa tempora in istis versionibus utplurimum ex analogia linguae hebr. determinanda sunt. E. gr. ubi in Vulg. est praeteritum aut futurum juxta nostrum modum loquendi non raro praesens póni debet; vel ubi est futurum ponendus est conjunctivus aut vice versa.

4. Quando in lingua hebr. unum tempus ab alio dependet, ista dependentia saepissime conversione perfecti in imperfectum aut vice versa indicatur (praeteritum conversivum, futurum convers.). Interpres

graecus autem et post eum latinus non semper attendit ad hanc proprietatem linguae hebr., ideo in versione nonnunquam ponitur praeteritum pro futuro vel futurum pro praeterito. In istis casibus recurrendem est ad textum hebr., ut tempus exactum inveniatur.

5. Iteratio et frequentatio vel qualitas actionis, quae in nostris linguis adverbiis indicantur, in lingua hebr. saepe verbis designantur; quod etiam versio psalmorum graeca et latina plerumque imitatur. E. gr. ps. 40, 9.: *non adjiciet, ut resurgat*=non amplius resurget; ps. 33, 3.: *accelera, ut eruas me*=celeriter erue me; ps. 125, 4.: *magnificavit Dominus facere nobiscum*=magnifice egit D. nobiscum; ps. 6, 11.: *convertantur et erubescant*=iterum erubescant.

6. In Vulg. praepositio **in** non raro modo omnino irregulari cum casibus conjungitur; e. gr. ps. 1, 1. *in consilio*=in consilium; ps. 18, 10. *in semetipsa*=in semetipsis; ps. 83, 7. *in loco*=in locum. Eadem praepos **in** (et in 70 ἐν) ad analogiam praepositionis hebr. **b**[e] praeter primariam significationem adhuc plures alias habet, uti: *cum, per, propter, inter;* saepe etiam ante ablativ. intrumentalem ponitur, ubi superflua est.

7. Lingua hebr. pauca tantum adjectiva habet; ex hac causa adjectiva saepe substantivis in genitivo positis suppleri debent. Etiam vers. Alex. et Vulg. hanc proprietatem linguae hebr. saepe retinent praecipue in psalmis, quorum versio utplurimum verbalis est. E. gr. ps. 5, 7. *vir sanguinum*=vir cruentus; ps. 44, 7. *virga directionis*=sceptrum rectum seu justum; ps. 4, 6. et 50, 21. *sacrificium justitiae*=sacrificium justum; ps. 109, 2. *virga virtutis tuae*= potens sceptrum tuum; ps. 77, 54. *mons sanctificationis*=m. sanctus.

8. Repetitio ejusdem nominis in psalmis varias significationes habet, scil. ista repetitione indicari potest: 1) multitudo, e. gr. ps. 86, 5. *homo et homo*=multi homines; 2) universitas, e. gr. ps. 71, 5. *in generatione et generationem*=in omnes generationes; 3) distributio, e. gr. in ps. 73, 4. *posuerunt signa sua, signa;* 4) varietas, e. gr. in ps. 11, 3. *in corde et corde locuti sunt*=vario et falso corde; 5) superlativus, e. gr. ps. 49, 1. *deus deorum*=summus deus.

9. In psalmis nonnunquam adverbia tanquam substantiva usurpantur; e. gr. ps. 112, 2. *ex hoc* **nunc**=ex hoc tempore; ps. 92, 2. *parata sedes tua ex* **tunc**=ex illo tempore; ps. 49, 4. *advocabit coelum de* **sursum**=de loco superiore. Sed etiam vice versa hincinde substantiva ponuntur loco adverbiorum; e. gr. ps. 9, 5. *judicare justitiam*=juste judicare.

10. In vers. latina psalmorum (Vulg.) saepe pro verbis simplicibus ponuntur composita; e. gr. *corrigere* = regere, *resurgere* = surgere, *retribuere* = tribuere, *providere* = videre, *abire* = ire; *exquirere* = quaerere.

11. Conjunctio *et* in psalmis non tantum significationem copulativam habet, sed ad analogiam voculae hebr. *ve* varias significationes induit; ideo etiam significationem causativam (nam), epexegeticam (scilicet, nempe), consecutivam (ita ut), finalem (ut), concessivam (quamvis) et conclusivam (igitur) habere potest. Qualem ex his significationibus in singulis locis habeat, ex contextu dijudicari debet.

12. In latina vers. psalmorum (et generatim in Vulg.) quaedam vocubula et phrases significationem inusitatam et singularem habent, qualis alibi vel raro tantum vel omnino non invenitur. Nonnulla exempla adducere juvat: *confiteri*, *benedicere* = laudare, celebrare; *confessio* = laus, laudatio; *mortificare* = occidere; *malignare* vel *malignari* = male agere; *convertere* = revertere; *respondere* = vocem extollere, loqui; *legem ponere* = docere; *suscipere* = adjuvare, protegere; *cornu* = robur, potentia; *anima* = persona, vita; *calix* = portio alicui attributa; *pauper* = miser, afflictus; *scandalum* = offendiculum; *reverentia* = confusio, ignominia; *exercitatio* = meditatio; *testimonia* = praecepta; *justificationes* = leges; *alienigenae* = Philisthaei; *verbum* (nonnunquam) = res, factum; *in finem* = in perpetuum; *in idipsum* = simul, pariter, conjunctim. Nonnullae ex istis significationibus explicari possunt ex lingua hebraica.

Adhuc multae aliae regulae addi possent, sed hoc nimis longum esset. Plura de hac re apud sequentes auctores inveniuntur: Kaulen, Handbuch zur Vulgata, Moguntiae, 1870; Hagen, Sprachliche Erörterungen zur Vulg., Friburgi Brisg. 1863; Weitenauer, Lexicon biblicum, in quo explicantur Vulgatae vocabula et phrases quaecunque etc., Augustae Vindel. 1758, Romae 1846.

Psalmus I.

Auctor hujus psalmi non quidem indicatur, attamen juxta sententiam communem creditur esse David, quia omnes reliqui psalmi ex libro primo (1-40) ab ipso derivantur.

Argumentum. Ps. I. veluti praefatio seu prooemium in totum psalterium consideratur, quia in compendio doctrinam summariam omnium psalmorum continet, scil.: tantum in unione cum Deo et per observationem legis divinae vera, perdurans beatitudo obtineri potest, in separatione autem a Deo nihil aliud, quam miseria et interitus invenitur. Speciatim in I. stropha v. 1-3. justus praedicatur beatus ejusque indoles et modus agendi negative et positive describitur; in str. II. v. 4-5. exponitur infelicitas, inconstantia et interitus impii; demum in conclusione v. 6. totum psalmi argumentum recapitulatur.

Annotationes. V. 1. Praeterita *abiit, stetit, sedit* significationem temporis praesentis habent. In lingua hebraica tantum duo tempora dantur: praeteritum et futurum seu perfectum et imperfectum; ideo saepe tempus praesens indicatur per formam praeteriti vel futuri. Hunc modum loquendi non raro etiam 70 et Vulgata imitantur. — Substantiva: **consilium, via, cathedra** et simili modo verba: **abire, stare, sedere gradationem** exprimunt et triplex genus peccatorum iudicant, nempe 1. peccantes post seductionem 2. peccantes motu proprio 3. seductores. *abire in consilium impiorum* = sequi consilium impiorum. *sedere in cathedra pestilentiae* = docere peccatum aliosque seducere. In textu hebr. et in vers. 70 loco vocis *pestilentia* est vocabulum, quod homines perniciosos indicat, qui pestem moralem propagant.

V. 2. *voluntas* = voluptas, delectatio cf. Jos. 1, 8. *in lege ejus meditatibur die ac nocte* = cum lege Dei continuo occupatur cogitatione, verbo ed opere.

V. 3. Sens.: opera hominis justi bona et stabilia sunt atque fructu et proemio suo non carebunt. *lignum* = *arbor*. Sunt arbores,

quae fructum non faciunt, sunt quae faciunt, sed non suum, sunt quae faciunt suum, sed non suo tempore (S. Bernard.) Applicatio horum verborum ad homines facilis et manifesta est. *secus* = prope. *decursus* = canales. In Oriente, speciatim in Palaestina, ubi tanta penuria aquarum est, arbores tantum in vicinia canalium aquarum prosperari possunt cf. Jer. 17, 8. *omnia.... prosperabuntur* cf. Rom. 8, 28.

V. 4. Sens.: impii aquis divinae gratiae destituti aridi et steriles sunt nullumque fructum bonorum operum ferre possunt, sed instar levissimi pulveris nullam stabilitatem nullumque valorem habent.

V. 5. *non resurgent impii in judicio* = impii in judicio divino non possunt consistere simul cum justis, sed ab iis separabuntur, confundentur et punientur.

V. 6. Sens.: Deus opera justorum cognoscit et praemiat, studia autem impiorum perducunt ad interitum. *iter* = agendi ratio.

Psalmus II.

Auctor. Ps. II. titulo caret, ideo auctor non indicatur, tamen nihilominus sine haesitatione contendi potest, hunc ps. a Davide esse compositum. Hoc probatur: 1. ex S. Scriptura N. T., Act. 4, 25 sqq., quo loco verba initialia psalmi II. allegantur et Davidi attribuuntur; 2. ex positione ab initio primi libri, qui caeteroquin tantum psalmos Davidicos continet; 3. ex aperta similitudine hujus ps. cum aliis psalmis certe Davidicis e. gr. cum psalmo 109.

Argumentum. In I. str. v. 1-3. praedicitur seditio populorum et principum infidelium contra Deum et Christum; in str. II. v. 4-5. describitur agendi ratio, qua Deus huic seditioni se opponit; in III. str. v. 6-9. indicatur munus regium, origo divina et imperium universale Messiae; in IV. str. v. 10-13. continentur admonitiones, quibus psalmista principes terrae ad obsequium et reverentiam Domino et Christo ejus praestandam enixe adhortatur.

Notandum est, hunc psalmum fere per modum dialogi esse compositum, ita ut varii loquentes inducantur, nunc Deus, nunc Messias, nunc principes rebelles, nunc ipse psalmista; attamen hae personae inter se non secernuntur, sed lectori secernendae relinquuntur.

Sensus Messianicus. In ps. II. continua pugna populorum et principum infidelium contra Christum ejusque ecclesiam atque certa

et finalis victoria Christi praedicitur. Hunc ps. esse directe Messianicum probatur: 1. ex s. Scriptura N. T.; nam Act. 4, 25. 13, 33. Hebr. 1, 5. 5, 5. nonnulla verba psalmi II. citantur et directe ad Christum referuntur (cf. etiam Apoc. 2, 27. 19, 15); 2. ex consensu unanimi ss. Patrum; e. gr. Justinus M. (dial. advers. Tryph.) v. 7. de Christo explicat, Irenaeus (l. 4. contra haeres.) v. 8. de Chr. et de propagatione regni ipsius intelligit, Cyprianus (testim. l. 2.) v. 6. de imperio Christi exponit, Eusebius in demonstr. evangel. ostendit, psalmum II. in Christo complementum invenisse; item s. Hieronymus saepius (comment. in Eccles., epist. ad Fabiolam, ad Principiam) verba ex hoc ps. allegat et ad Chr. refert; 3. ex traditione Indaeorum, quam testantur paraphrasis chaldaica, s. Script. N. T. (Mat. 26, 63. Joan. 1, 49) et eloquia Rabbinorum; e. gr. Abenesra de nostro psalmo dicit: *si ps. ad Messiam refertur, argumentum ejus multo clarius et lucidius est, quam si ad aliud subjectum applicetur;* 4. ex materia substrata seu ex ipso argumento psalmi, quod nulli regi Israelitico, sed soli Messiae convenit.

Anotationes. V. 1. Psalmista in visione sua conspicit principes populosque rebellantes contra regnum Christi ideo admirabundus exclamat: *quare.....* Tempus praeteritum h. l. et in v. 2. significationem praesentis habet. Vox *gentes* indicat populos ethnicos, v. *populi* autem populum Israeliticum cf. Act. 4, 27. *meditati sunt inania* = conatus inanes faciunt.

V. 2. *reges et principes;* generatim omnes principes infideles intelliguntur, qui Christo et ecclesiae restiterunt, inter quos Pilatus et Herodes primi erant, cf. Act. 4, 27. H. l. futurus Salvator prima vice *Christus Dei* = unctus a Deo nominatur; hoc nomen deinceps Messiae (hebr: mashi^a^ch) proprium factum est.

V. 3. est exclamatio principum rebellium, qui jugum Christi recusant.

V. 4. Sens.: Deus conatus principum infidelium facili modo eludere et ad nihilum redigere potest.

V. 5. Sens.: Deus istos principes rebelles puniet et perdet. Psalmista anthropopathice loquitur. Ira Dei poenam divinam indicat.

V. 6. Juxta Vulg. Messias loquitur. *super Sion* = super ecclesiam Christi; nam ecclesia apud prophetas saepe Sion vel Hierosolyma nominatur, scil. typus (Sion) metaphorice ponitur pro archetypo (ecclesia). Juxta text. hebr. h. l. **Deus** loquens inducitur, et quidem ita: *Ego constitui regem meum super Sion montem sanctum meum;*

deinde demum prosequitur Messias: *praedicabo decretum Domini.....*

V. 7. Ex h. v. Apost Paulus non tantum divinam Christi naturam (Hebr. 1, 5), sed indirecte etiam aeternum sacerdotium (Hebr. 5, 5) et necessitatem resurrectionis Chr.[1] probat Act. 13, 33). *filius meus es tu* cf. Mat. 3, 17. Vocem *filius* in sensu proprio esse intelligendum declarat Apostolus Hebr. 1, 5. *hodie,* si de Deo agitur = in aeternitate; nam in aeternitate neque praeteritum neque futurum datur, sed continuum praesens. Patet, h. l. indicari aeternam genituram Filii Dei ex substantia Patris.

V. 8. Deus Pater Messiam non tantum Filium suum declarat, sed etiam heredem. Ideo Apostolus alludens ad hunc l. Christum nominat *heredem universorum* (Hebr. 1, 2). In h. v. etiam universalitas regni Christi praedicitur cf. Ps. 71, 8. 11. Zach. 9, 10.

V. 9. Summum imperium et absoluta potestas Christi metaphorice describitur. Praepos. *in* h. l. habet significationem instrumentalem sicut saepius in Vulg. *virga* = sceptrum. *confringes* = confringere potes (futurum potentiale).

V. 10. *et nunc* = quum resita se habeat. *intelligite* = prudentes, sapientes estote. *judicare* h. l. = regnare.

V. 11. Sens.: laeto et lubenti corde obsequium praestate regi Messiae, at simul conjungite timorem reverentialem.

V. 12. Sens.: obedientiam exhibete Messiae, ne Dominus irascens vos puniat et perdat. *disciplinam* = doctrinam, eruditionem. *ne pereatis de via justa* = ne aberretis de via recta. V. 13*a*. adhuc ad v. 12. pertinet. *cum* h. l. significationem temporal. habet. V. 13*b*. continet conclusionem.

Usus liturgicus. Pugna contra Christum jam incepit ab ejus nativitate (Herodes); ideo ps. II. recitatur in festo nativitatis Christi. Haec pugna atrocissima erat in passione Christi; ex hac causa ps. noster recitatur in Parasceve Domini, in festo 7 dolorum, inventionis et exaltationis crucis et in officiis passionis Domini. Sed in ps. II. etiam victoria Christi praedicitur, qua de re recitatur in festo resurrectionis Christi. In pugna et victoria Christi partem habuerunt etiam martyres et confessores, ideo ps. II. in communi martyrum et confessorum occurrit. Sacerdos vel clericus hunc ps. recitans fiduciam concipere et omnem timorem deponere debet, quum videat continuam pugnam principum et populorum contra regnum Christi; nam *qui habitat in coelis irridebit eos,* e contra *beati, qui confidunt in eo,* nempe in Christo.

Psalmus III.

Occasio historica et subjectum psalmi. Occasio historica, qua David hunc ps. elegicum composuit, est ipsius fuga a filio rebelli Absalom, uti ex inscriptione elucet cf. II. Reg. cc. 15-17. Subjectum psalmi juxta sensum litteralem et proximum est David fugiens a filio suo, juxta sensum typicum autem Christus in sua passione.

Argumentum. In I. str. v. 2-3. psalmista conqueritur de multitudine adversariorum suorum; in II. str. v. 4-5. spem firmam enuntiat, se a Deo auxilium et salutem esse obtenturum; in III. str. v. 6-7*a*. se totum fiducia plena divinae providentiae committit; in str. IV v. 7*b*-9. petit a Deo liberationem ex angustiis et periculis, victoriam de adversariis suis et benedictionem pro toto populo.

David fugiens per torrentem Cedron est typus Christi, qui post ultimam coenam per torrentem Cedron exiit in montem Oliveti. Sicut David traditus est ab amico et consiliario suo Achitophel (II. Reg. 17, 1 sqq.) ita Chr. ab Apostolo suo Juda; sicut David fugiens putabatur a Deo derelictus (ps. 3, 2), ita Chr. in sua passione (cf. Mat. 27, 42 sq.); sicut D. in fuga sua innumeros inimicos habuit (ps. 3, 2), ita Chr. in sua passione; sicut David injurias condonavit et pro adversariis intercessit (II. Reg. 19, 18 sqq. ps. 3, 9), ita Chr. in cruce pendens pro inimicis suis rogavit (Luc. 23, 34).

Anotationes. V. 2. David conqueritur, hostium numerum magis magisque auctum esse; nam venerat nuntius ad eum dicens: *toto corde universus Israel sequitur Absalom* II. Reg. 15, 13.

V. 3. *dicunt animae m.* = loquuntur de me seu relate ad me. Vulg. saepe juxta anologiam linguae hebr. loco pronominis personalis ponit vocem *anima* cum resp. pronomine possessivo. Sens. v. 3.: multi dicunt, me a Deo omnino esse derelictum vel Deum non posse me salvare.

V. 4. *susceptor* = protector. *gloria m.* = objectum gloriae meae. *exaltans caput meum* = victoriam mihi praebens.

V. 5. *de mont. s. m.* = de monte Sion, in quo tunc temporis sanctuarium Dei erat scil. arca foederis cum tabernaculo ibi a Davide erecto I. Paral. 15, 1. Sion metaphorice etiam coelum indicare potest. Praeterit. h. l. pro praes. ponitur.

V. 6. Sens.: providentiae divinae me committens nihil timeo, sed imperturbato animo somnum capio et incolumis de somno surgam.

Cf. II. Reg. 17, 16. 22. Nonnulli ss. Patres haec verba in sens. typico ad Christum referunt, qui post dormitionem mortis in sepulchro tertio die resurrexit. *suscepit me* = protegit me.

V. 7*a*. Sens.: non timeo magnum exercitum adversariorum, qui me persequuntur.

V. 8. Psalmista recordatur auxilii divini aliis occasionibus sibi praestiti. *adversantes mihi sine causa* = qui non habent causam justam mihi adversandi. *dentes peccatorum;* psalmista adversarios suos cum bestiis comparat, qui dentibus suis dilaniant et dilacerant.

V. 9*a*. Sens.: Dominus est auctor omnis salutis, ipse me salvabit.

Usus liturg. Ps. III. propter significationem typicam recitatur: 1. in officio orationis Domini in monte Oliveti, 2. in officio passionis Domini, 3. in festo pretios. sanguinis, 4. in fest. inventionis et exaltat. s. crucis, 5. in festo resurrectionis Domini (cf. v. 6.).

Psalmus IV.

Occasio historica. David hunc psalmum sine dubio vel in fuga a filio suo Absalom vel tempore persecutionis a Saule ipsi inflictae composuit.

Argumentum. In I. str. v. 2. psalmista auxilium Dei jam sibi praestitum commemorat novumque petit; in II. str. v. 3-5. adversarios suos adhortatur, ut tandem aliquando a viis suis malis et a conatibus inanibus contra consilia divina desistant; in III. str. v. 6-10 asseclas suos admonet, ut fiduciam suam in Deo auctore omnis gratiae ponant et aperte enuntiat, se a Deo jam recepisse consolationem ideoque certum esse de divino auxilio obtinendo.

Annotationes. V. 1. *in finem;* haec phrasis quinquagies occurrit in psalmis, inter quos fere omnes sunt Davidici; probabiliter significat, psalmum ad finem officii s. esse cantandum. In vers. 70 legitur *εἰς τέλος*, quod verti posset: ad sacrificium vel ad cultum divinum. Phrasis hebr. de regula vertitur: praefecto (scil. musicae) seu praecentori; S. Hieron. vertit: victori. *in carminibus* = hic ps. pertinet ad carmina seu hymnos. Vox hebr. significat instrumentum fidium; caeterum etiam vox latina *carmen* poetice ponitur pro instrumento musico.

V. 2. *Deus justitiae meae* = Deus, qui est defensor et vindex justitiae meae. *in tribulatione dilatasti mihi* = ex tribulatione seu angustia liberasti me.

V. 3. *filii hominum* dicuntur adversarii Davidis, qui erant sectatores hujus mundi, in oppositione ad psalmistam ejusque asseclas, qui pertinent ad filios Dei. *usquequo gravi corde* = quamdin obstinati estis in perversis consiliis vestris? *utquid* = cur. *vanitatem et mendacium* = res vanas et inanes, quae nullum verum valorem habent, vel etiam = consilia vana et inania.

V. 4. Sens.; Deus mirando modo elegit me pium cultorem suum in regem theocraticum, ideo semper mihi auxilium praestabit. David h. l. seipsum nominat *sanctum Dei* = pium cultorem Dei.

V. 5. *irascimini* scil. de peccatis vestris. Vox hebr. = contremiscite; psalmista adversarios admonere vult, ut salutari terrore concutiantur propter peccata sua. *in cubilibus vestris compungimini* = doleatis in quiete nocturna de malis consiliis vestris. Ergo h. l. actus ad veram poenitentiam necessarii indicantur, nempe: peccatorum detestatio, cordis compunctio seu contritio et propositum non peccandi de cetero.

V. 6. Nunc psalmista ad asseclas suos de auxilio divino diffidentes se vertit eosque adhortatur, ut offerant secrificium justitiae i. e. sacrificium recto animo et legitimo modo oblatum, ergo omnino perfectum. *multi dicunt.....* = diffidentes amici cogitant et dicunt: nemo salutem et liberationem ex tribulatione nobis afferre potest.

V. 7. Psalmista respondet amicis diffidentibus. Sens.: auxilium et gratia Dei certe nobiscum est; imo Deus me jam consolatur laetitia interna. *signatum est super nos lumen vultus tui.* Nonnulli ss. Patres haec verba intelligunt de gratia sanctificante, qua anima constituitur imago Dei supernaturalis; et re vera h. l. non agi de mera benevolentia seu gratia naturali sed de gratia supernaturali elucet ex antithesi inter v. 7. et 8.

V. 8. Sens. juxta Vulg.: alii quidem abundantiam bonorum temporalium habent, ego autem gaudeo de gratia divina. Psalmista suae laetitae, quam habet in Deo opponit eam, quam alii ex affluentia bonorum naturalium hauriunt. Text. hebr. ita habet: dedisti laetitiam in corde meo, quae major est quam eo tempore quo abundant frumento et musto = mea laetitia major et nobilior est quam laetitia de bonis hujus mundi cf. ps. 50, 14. Philip. 4, 7. *multiplicati sunt* = divites sunt seu abundantiam habent.

V. 9. Sens.: simul ac recumbo (eodem tempore) obdormio et in pace quiesco. Est signum summae quietis et pacis, si quis obdormit statim ac recumbit. *in idipsum* = simul, eodem tempore.

V. 10. Sens.: Tu Domine speciali modo in spe et fiducia me confirmasti.

Usus liturg. Ps. IV. in liturgia ecclesiastica occurrit: 1) in Completorio, quia hic ps. est carmen vespertinum (cf. v. 5 et 9.) 2) in officio ss. Sacramenti eucharistici (cf. v. 6. *sacrificium justitiae* et v. 8. *a fructu frumenti et vini....*) 3) in sabbato s. (cf. v. 9) demum 4) in festo omnium Sanctorum (cf. v. 4).

Psalmus VI.

Observatio praevia. Hic ps. pertinet ad sic dictos psalmos poenitentiales. Poenitentiales generatim ii psalmi nominantur, in quibus affectus animae poenitentis et propositum emendationis enuntiantur atque indulgentia peccatorum a Deo petitur. Hujusmodi psalmi plures quidem dantur in psalterio, attamen in liturgia ecclesiae tantum septem hoc nomine insigniuntur, e quibus quinque nempe 6. 31. 37. 50. et 142. a Davide de peccatis adulterii et homicidii poenitentiam agente, reliqui duo scil. 101. et 129. ab auctore ignoto tempore exilii babylonici compositi sunt. In his psalmis varia requisita et momenta verae poenitentiae recensentur et totus processus psychologicus conversionis ad Deum in anima peccatoris sese evolvens describitur.

Argumentum. In I. str. v. 2-4. psalmista enixis precibus misericordiam a Deo implorat; in II. str. v. 5-8. rationes adducit, quibus Deum ad indulgentiam sibi concedendam commoveat, quae sunt sequentes *a)* infinita Dei misericordia (v. 5) *b)* gloria Dei (v. 6) *c)* opera poenitentiae a psalmista jam peracta (v. 7-8); in III. str. v. 9-11. firmam fiduciam de indulgentia et divino auxilio obtinendo exprimit.

Annotationes. V. 1. *pro octava* = juxta melodiam octavam vel ad instrumentum 8 chordis instructum.

V. 2. David h. l. non recusat poenam medicinalem, sed tantum poenam vindicativam; ideo petit, ut Deus eum cum amore non cum furore puniat cf. ps. 37, 2.

V. 3. *infirmus sum;* directe infirmitas animae, indirecte etiam infirmitas corporis intelligitur, quatenus haec ex illa derivatur cf. ps. 37, 4. *ossa mea;* ossa ab antiquis Hebraeis uti sedes virium considerantur.

V. 4. *usquequo* = quamdiu derelinques me in mea miseria?

V. 5. *convertere*, suppl.: ad me.

V. Sens.: post mortem non amplius te celebrare possum, ideo me a morte salvare debes, ut etiam in posterum te laudare possim. *infernus* hebr. sheôl, quae vox in V. T. generatim conditionem animae post mortem indicat, ideo vel infernum in sensu stricto vel limbum patrum vel purgatorium significare potest. *confitebitur;* haec vox in psalmis saepe laudem et cultum Dei publicum atque externum indicat; talem cultum mortui certe exercere non possunt cf. ps. 113, 17. Alii putant, sensum hujus vers. esse: si debeo mori in statu peccati, tunc in infernum detrudar, ubi nullo modo te laudare potero.

V. 7. Praeteritum et futurum ponitur pro praesenti. *laboravi in gemitu meo* = defatigor gemendo. Verba *lavare et irrigare* h. l. in significatione hyperbolica sumuntur = lacrymis meis lectum meum madefacio.

V. 8. *a furore* = propter moerorem. *inveteravi inter omnes inimicos m.* = propter infestationes tot adversariorum ante tempus senex factus sum. Cf. ps. 37, 11.

V. 9. Insectatio et vexatio, quam psalmista pati debuit ex parte operantium iniquitatem, poena peccatorum erat; ideo peccatis remissis etiam eorum sequelae i. e. poenae cessare et adversarii recedere debuerunt.

V. 10. Sens.: jam certus sum, Deum deprecationem meam exaudire cf. ps. 37, 16.

V. 11. *convertantur et erubescant* = iterum seu de novo erubescant. *valde velociter* = statim.

Psalmus VII.

Occasio historica. Ex inscriptione elucet, ansam ad hunc ps. componendum dedisse verba cujusdam viri nomine Chusi ex tribu Benjamin. Quisnam fuerit iste Chus cum certitudine erui non potest. Paraphrastes Chaldaeus et s. Hieronymus nomine Chusi Saulem intelligunt; ideo posterior dicit: *Totus ps. contra Saul est conscriptus, quem Aethiopem (Chus) vocat propter sanguinarios et tetros et crudeles mores.* In hac suppositone verba Chusi, de quibus in titulo sermo fit, essent illa verba suspiciosa, quae Saul contra Davidem protulit I. Reg. 22, 7 sq. Alii autem cum Bellarmino putant, nomine Chusi h. l. designari illum Semei, qui Davidem, quum filium

Absalom fugeret, verbis contumeliosis et lapidibus insecutus est II. Reg. 16, 5 sqq. Sed sententia vera potius haec esse videtur, nempe Chusum fuisse asseclam Saulis insignem, qui Davidem apud illum infidelitatis et conjurationis accusaverit, quae accusatio causa fuerit persecutionis a Saule contra Davidem excitatae cf. I. Reg. 24, 9 sq. Ex hac sententia verba Chusi quidem ansam huic psalmo componendo dederunt, attamen adversarius Davidis principalis, de quo in psalmo agitur, non est Chus sed ipse Saul.

Argumentum. In I. str. v. 2-6. psalmista in maximo periculo constitutus a Deo auxilium petit contra adversarios suos praesertim contra unum insignem et innocentiam suam firmissime contestatur; in str. II, v. 7-10. Deum rogat, ut judicium instituat, quo jus suum obtinere possit et ipsius innocentia manifestetur; in III. str. v. 11-17. psalmista confisus in justitia et omnipotentia Dei tuto sperat et praevidet, se a Deo auxilium obtenturum, adversarios autem interituros esse eorumque consilia iniqua frustratum iri; demum in conclusione v. 18. propositum enuntiat, se Deo gratias acturum ejusque justitiam celebraturum esse.

Annotationes. V. 1. *pro verbis Chusi* = propter verba Chusi. *filii Jemini* hebr. Benjaminitae i. e. de tribu Benjamin.

V. 3. *nequando eripiat animam m.* = ne mihi vitam eripiat scil. Saul cf. I. Reg. 24, 12.

V. 4. *si feci istud* = si conjurationem feci contra Saulem, quod a Chuso mihi imputatur cf. I. Reg. 22, 8.

V. 5. *retribuentibus mihi malum* = inferentibus mihi malum = adversariis meis. *decidam merito....* non recuso cadere seu prosterni a manu adversariorum. Text. hebr. ita habet: si retribui amico meo malum — imo salvavi eum, qui sine causa mihi insidiatus est cf. I. Reg. 24, 11. 26, 7. 8. *inanis* = spe frustratus.

V. 6. *animam m.* = me. *conculcet in terra vitam m.* = projiciat in terram ibique conculcet me. *gloriam m. in pulverem deducat* = me summis contumeliis afficiat.

V. 7. Sens. text. lat.: exurge Domine ad castigandas transgressiones adversariorum meorum et exequere mandata tua. Text. hebr. ita habet: exurge in ira tua, elevare contra furorem adversariorum meorum, exurge pro me, para judicium. *in finibus* = contra transgressiones.

V. 8. Sens.: circumdatus congregatione populorum ascende in altum ad judicium habendum. Est allusio ad judicium Dei universale. *propter hanc* = ad hanc synagogam populorum judicandam.

V. 9. A judicio universali psalmista transit ad judicium particulare sui ipsius; quia conscius est innocentiae suae, ideo confidenter ad judicium divinum provocare potest. *super me* = quae super me seu in me est cf. I. Reg. 24, 13. 16.

V. 10. *consumetur* = desinat, finiatur. Psalmistae magis cessatio peccati quam poena peccatoris cordi est. *diriges justum* = confirma me, qui justus sum.

V. 11. Sens.: quia Deus justus est et generatim omnes recto corde salvos facit, ideo etiam me salvare et adjuvare debet.

V. 12. Sens. juxta Vulg.: Deus quidem longanimis est, ideo peccatores saepe non statim punit; attamen quia etiam justus et fortis est, eos suo tempore certe castigabit.

V. 13. et 14. Sens.: si non convertimini, Deus omne genus poenarum pro vobis paratum habet. Diversis armis, uti gladio, arcu, telis, sagittis diversa genera poenarum indicantur. *in eo* = in arcu. *vasa mortis* = instrumenta mortifera = tela. *ardentibus effecit* = ardentes effecit = summa vi et efficacia instruxit. Caeterum apud antiquos in usu erat, etiam tela ignifera in urbes hostiles injicere.

V. 15. Inde a v. 15-17 subjectum est ille adversarius psalmistae insignis, vel juxta alios peccator generatim.

Sens. v. 15.: opus injustum mente concepit, magno labore exequi conatus est et demum opere complevit. *peperit iniquitatem* hebr. peperit mendacium seu abortum fecit = consilia ejus irrita facta sunt cf. Job. 15, 35. Is. 59, 4.

V. 16. Sens.: ipse adversarius meus in eandem perniciem incidit, quam mihi parare vult. *lacum* = foveam cf. ps. 56, 7. Prov. 26, 27.

V. 17. Sens.: conatus iniqui, quos fecit ad me perdendum in ipsum recident, seu sibi ipsi perniciem parat. *dolor ejus* = labor ejus.

V. 8. *confitebor* = celebrabo. *secundum* = propter. *psallam* = hymnum cantabo.

Psalmus VIII.

Argumentum. In v. 1. est inscriptio, in v. 2*a*. thema psalmi proponitur (gloria Dei creatoris); proprium psalmi argumentum a v. 2*b*-9 evolvitur et quidem in I. str. v. 2*b*-4. describitur majestas et gloria Dei ex rebus creatis elucens; in str. II. v. 5-9. celebratur dignitas et auctoritas hominis propter dona eximia ei a Deo collata; in conclusione v. 10. thema psalmi repetitur.

Sententiarum connexus inter I. et II. stroph. hic est: jam creaturae Dei irrationales maximopere sunt admirandae, qualis et quantus debet esse homo, ad cujus servitium haec omnia creata sunt.

Scopus principalis hujus ps. est laudis et gloriae divinae celebratio ob praeclara dona hominibus collata.

Sens. Messian. Ps. VIII. certe aliquo modo ad Messiam referri debet, attamen non est directe Messianicus, sed tantum in sensu uti dicunt ideali, quatenus nempe idea hujus ps. in Messia plene et perfecte verificata est. Hoc probatur: 1) ex materia substrata seu ex argumento psalmi, quod quidem in sensu aliquo imperfecto ad omnes homines generatim, in sensu perfectiore ad protoparentes in statu originali vel ad homines per Christum redemptos, in sensu pleno autem solummodo ad Chr. Deum-hominem, caput et restauratorem generis humani referri potest; 2) ex s. Scriptura N. T. I. Cor. 15, 26. 27., Hebr. 2, 6-9., ubi Apostolus declarat, verba hujus ps. (v. 5-8) in Christo esse adimpleta; 3) ex sententia communi ss. Patrum, qui ea quae in hoc ps. enuntiantur, in sensu eminenti ad Christum hominem exemplarem referunt.

Annotationes. V. 1. *pro torcularibus;* h. v. probabiliter instrumentum musicum indicatur. Alii explicant, psalmum tempore vindemiae esse cantandum.

V. 2. Sens.: gloria Dei tum ex orbe terrarum tum ex coelis clare elucet. *nomen Dei* = complexus perfectionum divinarum. *elevata est* = manifestata est. S. Hieronymus: *posuisti gloriam tuam super coelos.*

V. 3. Sens.: majestas Dei ex creaturis elucens tam clara et perspicua est, ut ipsi infantes eam aliquo modo percipiant in ejusque contemplatione exclamantes admirationem suam ostendant et tali modo atheos Deique adversarios confundant. Haec veritas generalis in specie adimpleta est, quando pueri coram pharisaeis blasphemantibus Christo acclamarunt: hosanna filio David Mat. 21, 15 sq. *ut destruas* hebr.: ut quiescere seu tacere facias. *ultorem* = inimicum.

V. 4. Psalmista causam admirationis in v. 2. enuntiatae indicat scil. ex contemplatione operum Dei ad tantam admirationem movetur. *videbo* = video.

V. 5. *quid est homo.* Homo quidem parvus et ignobilis est in **concreto**, seu in individuo, uti dicunt, sublimis autem et magnus

est juxta ideam et finem a Deo constitutam. *visitas eum.* Visitatio Dei vel ad benefaciendum vel ad puniendum fieri potest; h. l. certe prior sensus teneri debet. Nonnulli putant, hac visitatione esse intelligendum descensum Filii Dei in hanc terram cf. Luc. 1, 68. 78.

V. 6. *minuisti eum paulo minus ab angelis*, hebr.: minuisti eum paulo minus a Deo (Elohim). Apostolus Paulus *Hebr. 2, 7.* ponit *ab angelis* et verba *paulo minus* in sensu temporali sumit et de extrema humiliatione Christi in ejus passione explicat. S. Hieronymus in sua versione futurum ponit, nempe *minues, coronabis*, et hunc locum manifesto ad Christum refert.

Gloria et honor hominis, de quibus h. l. sermo est, praesertim in eo consistunt, quod homo ad imaginem Dei creatus est; haec imago duplex est *a)* naturalis *b)* supernaturalis. Imago Dei naturalis in quolibet homine invenitur et consistit 1) in spiritualitate animae 2) in immortalitate animae 3) in aliquo dominio super creaturas irrationales. Imago Dei supernaturalis solummodo in protoparentibus in stato originali et in hominibus a Christo redemptis invenitur et consistit in gratia sanctificante, qua homo fit filius Dei adoptivus et consors divinae naturae (II. Pet. 1, 4). Modo eminenti hac gloria et honore coronatus est Chr. Deus-homo, nam ipse est Filius proprius, imago Dei perfectissima, ipse dominium absolutum omnium creaturarum habet. Ideo juremerito Apostolus haec verba in sensu eminenti ad Christum refert (Hebr. 2. 7 sqq.). Chr. maximam humilitatem et simul maximam sublimitatem naturae humanae in se conjunxit: humiliatus est usque ad mortem crucis, exaltatus est ad dexteram Dei Patris (Philip. 2, 8-11); ideo etiam ex hac parte est homo exemplaris.

V. 8. cf. I. Cor. 15, 26. *oves et boves* = animalia domestica. *pecora campi* = animalia fera cf. Gen. 1, 26-28. *constituisti* = praefecisti.

V. 9. *qui perambulant semitas maris*, hebr. id quod perambulat.... = animalia marina.

Usus liturg. Ps. VIII. in liturgia ecclesiastica occurrit: 1) in festo ss. Trinitatis, quia in hoc ps. celebratur Deus creator et Filius Dei redemptor; 2) in officiis passionis Domini, quia in passione Filius Dei infra angelos humiliatus est (v. 6); 3) in festo transfigurationis et ascensionis Domini, qua natura Christi humana *gloria et honore* coronata est (v. 6); 4) in festo ss.nominis Jesu, quia non datur aliud nomen tam admirabile (v. 2. 10.); 5) jn festis B. Mariae V., quia Maria post Chr. Deum-hominem est exemplar per-

fectissimum omnium hominum et per eam natura humana ad magnam dignitatem elevata est; 6) in festis ss. angelorum, quia ex custodia angelorum dignitas hominis elucet.

Psalmus XV.

Auctor et occasio. Auctorem hujus ps. esse Davidem, probatur: 1) ex inscriptione (v. 1) 2) ex testimonio Apostolorum Petri et Pauli Act. 2, 25. 13, 35 sq. 3) ex positione in medio psalmorum Davidicorum. David hunc ps. sine dubio composuit tempore, quo in summo rerum discrimine versabatur; propius autem occasio histor. indicari nequit.

Argumentum. In parte I. v. 1-7. psalmista ab initio precibus suis ad Deum unicum salutis fontem et summum bonum se convertit, deinde horrorem suum contra idololatriam enuntiat seque totum Deo devovet, demum gaudium suum exprimit de praeclara hereditate a Deo accepta et adhuc accipienda; in II. p. v. 8-11. eximias sequelas hujus obsequii erga Deum describit, scil. adjutorium Dei perpetuum, gaudium spirituale, praeservationem a corruptione, resurrectionem a mortuis et beatitudinem aeternam ad dexteram Dei Patris.

Sensus Messian. Hunc psalmum esse Messianicum probatur: 1) ex verbis Apostolorum Petri et Pauli in Act. 2, 25-31. 13, 35-37., quibus in locis partem II. ad Christum referunt, imo expositionem de Davide aperte reprobant; cf. etiam Luc. 24, 27. 44. 46; 2) ex sententia unanimi ss. Patrum et theologorum catholicorum, e. gr. Theodoretus ad hunc ps. advertit: *h. l. praedicit Domini passionem et resurrectionem et salutem credentium in eum.... ex persona Salvatoris psalmus pronuntiatur*; S. Augustinus (de civit. Dei l. 17. c. 18) ad v. 10. observat: *quod utique dicere non possunt de propheta et rege David;* 3) ex argumento psalmi, nam ea quae in II. p. dicuntur, certe in sensu tantum imperfecto ad Davidem referri possunt, in Christo autem plenum et perfectum complementum habent. Sed etiamsi omnes interpretes catholici in sententia conveniant, psalmum 15. ad Messiam esse referendum, tamen quattuor dantur diversae explicationes Messianicae: 1) explicatio uti dicunt idealis, quae psalmi argumentum in sensu imperfecto ad Davidem, in sensu perfecto ad Christum refert, 2) explicatio, quae totum psalmum directe ad Christum refert, 3) explicatio, quae totum

psalmum tantum in sensu typico ad Christum refert, 4) explicatio, quae I. partem indirecte, II. partem directe ad Christum refert. Haec ultima sententia praeferenda esse videtur.

Annotationes. V. 1. *tituli inscriptio*, in vers. Alexandr. *στηλογραφία;* haec phrasis obscurissima est. Inscriptio in t. hebr. a nonnullis vertitur: scriptura Davidis. *ipsi David*=ab ipso Davide (dativ. auctoris). Pronomina demonstrativa in posteriore latinitate nonnunquam significationem articuli habent=*τῷ Δαυίδ.*

V. 2. *bonorum meorum non eges*=Deus non indiget meis operibus, sed ego indigeo ipsius gratia. Textum hebr. S. Hieronym. ita vertit: *bene mihi non est sine te*=tu es summum bonum meum.

V. 3. Sens.: quoad sanctos, qui in terra versantur, Deus omnia desideria mea miro modo adimplet. *Sancti*=fideles cultores Dei. *ejus* in hebr. deest. *mirificare*=miro modo perficere. *voluntates*=desideria.

V. 4. Sens.: multa sunt idola gentilium, ad quae cum celeritate accurrunt; ego autem nolo habere partem in earum conventiculis neque nomina idolorum pronuntiabo. *multiplicatae sunt*=multae sunt. *infirmitates*=idola. *postea*=post ea scil. idola. *conventicula de sanguinibus*=conventicula sanguinolenta=in quibus sanguis effunditur.

V. 5. Psalmista nullum aliud bonum quaerit quam Dominum, ipsum uti summum bonum suum veneratur cf. Num. 18, 20. Deut. 18, 1 sq. Imagines desumtae sunt e jure hereditatis et a convivio. *restitues*=assignabis.

V. 6. Sens.: eximiam et praeclaram hereditatem obtineo. Metaphora desumta est ex modo, quo portiones hereditatis inter singulos heredes distribuebantur, nam Hebraei agros et campos funiculis dimetiebantur. *in praeclaris*=in regione egregia et amoena. *etenim* h. l. est epexegeticum.

V. 7. Sens.: laudabo Deum, quia tribuit mihi intellectum, ut hereditatem tam praeclaram eligerem, imo in ipsa nocte affectibus meis impellor ad hoc faciendum. *increpuerunt*=edocuerunt, erudiverunt, gr. *ἐπαίδευσαν. renes*=sedes affectuum.

V. 8. Sens.: Dominus semper mihi praesens est et qua protector mihi adstat, ne a proposito meo recedam. *providebam*=video; h. l. verbum compositum ponitur pro simplici, uti saepe in Vulg.

V. 9. *propter hoc*=propter hoc auxilium divinum. *caro mea*=corpus meum. *in spe* scil. resurrectionis.

V. 10. Haec verba in Act. 2, 25-31. 13, 35. ad Christum referuntur et quidem v. 10*a* explicatur de anima Christi, quae non remansit in limbo patrum, et v. 10*b* de corpore Christi, quod per resurrectionem a corruptione praeservatum est. *infernus* hebr. sheôl = locus, quo animae defunctorum commorantur ideo praesertim limbus patrum. *nec dabis videre* = non permittes, ut videat.

V. 11. Si haec verba ad Christum referuntur, tunc sensus est sequens: docuisti me modum redeundi ad vitam (nempe per resurrectionem) beatificabis me ostensione vultus tui et ad dexteram tuam sedens fruar laetitia sempiterna. Ad Davidem hic vers. in sensu tantum imperfecto referri posset. *cum vultu tuo* = per ostensionem vultus tui = per visionem beatificam. *delectationes* = summam delectationem et laetitiam; nam num. pluralis in lingua hebr. saepe superlativum significat. *in dextera* = ad dexteram.

Usus liturg. Ps. 15. recitatur: 1) in collatione primae tonsurae, nam ii qui in clerum assumuntur, bonis et voluptatibus hujus mundi renuntiare et solum Deum qua partem (κλῆρος) et hereditatem suam considerare debent (v. 5. 6); 2) in festo corporis Christi, quia corpus Christi in ss. eucharistiae Sacramento est pars nostra praeclarissima in his terris (v. 5. 6) et pignus nostrae resurrectionis vitaeque aeternae (v. 10. 11); 3) in festo pretiosiss. sanguinis Christi, nam hic ps. a ss. Patribus consideratur uti oratio prophetica Christi sanguinem sudantis in monte Oliveti; 4) in sabbato s., quo Christi corpus quievit in sepulchro, dum ipsius anima commorata est in inferno (v. 9. 10); 5) in festis Martyrum, quia Martyres Christo patienti similes facti et spe resurrectionis atque vitae aeternae in cruciatibus suis confortati sunt (v. 10. 11.).

Psalmus XVIII.

Argumentum. In I. parte v. 2-7. celebratur revelatio Dei naturalis ubique locorum et omnibus manifesta; in II. p. v. 8-11. celebratur revelatio Dei positiva scil. praestantia et perfectiones legis divinae describuntur; in III. p. v. 12-15. psalmista petit a Deo gratiam ad observandam legem, remissionem transgressionum occultarum et auxilium, quo peccata gravia cavere possit.

Annotationes. V. 2. Sens.: contemplatio coelorum ostendit, quam magna et praeclara opera Deus perfecerit.

V. 3. Sens.: de die in diem, de nocte in noctem coeli quasi

loquuntur atque gloriam, potentiam et sapientiam Dei hominibus annuntiant. Psalmista coelos, diem et noctem inducit tamquam personas. Coelum praedicat, dies et nox audiunt hanc praedicationem eamq. transmittunt diebus noctibusque sequentibus. *scientiam* = cognitionem Dei seu notitiam de Deo = τὸ γνωστὸν τοῦ ϑεοῦ Rom. 1, 19-12.

V. 4. Sens.: haec loquela naturae seu haec revelatio naturalis talis est, ut facile et ab unoquoque percipi et intelligi possit. *quorum* = ut eorum. *eorum* pleonostice ponitur (per hebraism.).

V. 5. Sens. litteral.: natura rerum creatarum tam perspicue et evidenter gloriam Dei revelat, ut omnes homines per totum orbem terrarum ad cognitionem veri Dei pervenire possint. Apostol. Paulus Rom. 10, 18. cum hoc praeconio naturae comparat universale praeconium Evangelii.

V. 6. Sens. litteral.: sol est quasi tabernaculum Dei, ex quo perfectiones creatoris clarissime elucent; nam sol magnificus in cursu et efficacia sua quasi speculum est Dei omnipotentis, omnipraesentis et omnia vivificantis. *in sole posuit tabernaculum s.;* in t. hebr.: soli posuit tabernaculum in eis scil. in coelis.

V. 7. Sens. litt.: sol oriens in una extremitate coeli cursu suo usque ad alteram extremitatem pervenit, ita ut nemo et nihil ejus efficaciae se subducere possit. Nonnulli ss. Patres verba vv. 6. et 7. in sensu spirituali referunt ad Filium Dei incarnatum; nam Chr. a prophetis nominatur *sol justitiae* et *oriens ex alto* (Mal. 4. 2. Luc. 1, 78), qui egressus est a summo coelo et opere redemptionis consummato iterum ad summum coelum reversus est. *occursus* = cursus seu recursus.

V. 8-10. Psalmista a sole corporali transit ad solem spiritualem, nempe ad legem Dei, ex qua perfectiones divinae adhuc clarius et manifestius elucent. Sub hac lege in sensu proximo lex Mosaica intelligenda est, in sensu autem typico verba hujus partis ad legem evangelicam referri debent. Lex divina h. l. diversis nominibus et praeclaris elogiis exornatur; nam nominatur: 1) testimonium, quia voluntatem Dei contestatur, 2) justitia, quia tantum ea, quae justa sunt decernit, 3) praeceptum, quia continet praescriptiones obligatorias, 4) judicium, quia continet decreta Dei judicialia, 5) timor Domini, quia timorem Domini docet et ex timore Domini observanda est. Elogia legis sequentia sunt nempe dicitur: 1) immaculata 2) convertens animas (ad Deum) 3) fidelis 4) sapien-

tiam praestans parvulis scil. hominibus simplicibus et humilibus (cf. ps, 118, 130. Mat. 11, 25) 5) recta 6) laetificans corda 7) lucida 8) illuminans oculos scil. mentis (cf. ps. 118, 105. 130) 9) sancta 10) permanens in saeculum saeculi (cf. ps. 118, 142) 11) vera 12) justificata in semetipsa = omnino justa.

V. 11. Sens.: lex divina pretiosior est quam omnes res desiderabiles in hoc mundo cf. 118, 103. 131. *favus* = cellula apum, vel = mel destillatum.

V. 12. *etenim servus tuus custodit ea,* suppl.: ideo dulcedinem eorum jam expertus est. *in custodiendis illis retributio multa* = qui legem Dei observant magnis praemiis et multis meritis ditantur.

V. 13. *delicta quis intelligit?* = quis potest omnia peccata sua cognoscere? *ab occultis meis* = a peccatis mihi occultis.

V. 14. *ab alienis* = ab illis, qui alienis moribus sunt seu ab hominibus impiis; vel juxta alios et j. t. hebr. = a peccatis malitiae. *si mei non fuerint dominati* scil. seductores et homines impii, juxta alios: peccata malitiae. *emundabor a delicto maximo* = mundus ero a peccatis gravibus.

V. 15. *et erunt, ut complaceant* = tunc tibi complacebunt.

Usus liturg. Ps. 18. recitatur: 1) in festo ss. Trinitatis, quia in h. ps. sermo est de Deo creatore et redemptore (III. pars v. 12-15, est soteriologia in nuce = liberatio a peccatis et vita justa); 2) in festo nativitatis Christi, quia vv. 7. et 8. a ss. Patribus ad Filium Dei incarnatum referuntur; 3) in festo ascensionis Domini, nam Chr. sol justitiae egressus e summo coelo per ascensionem iterum ad summum coelum reversus est (vv. 6. et 7); 4) in festis B. Mariae V., quia Filius Dei e summo coelo egressus in utero B. Mariae V. tabernaculum suum posuit (vv. 6. 7); 5) in festis Apostolorum, nam v. 5. in sensu spirituali de praedicatione Evangelii per Apostolos explicatur; 6) in festis ss. Angelorum, quia praesertim angeli coeli enarrant et celebrant gloriam Dei (v.2.).

Psalmus XXI.

Occasio historica. Quanam occasione David hunc ps. composuerit nullibi indicatur; nonnulli putant, tempore persecutionis, quam a Saule pati debuit cf. I. Reg. 23, 25 sqq. Visio prophetica, quae Davidem ad hunc psalmum componendum excitavit, ita fere explicanda esse videtur. Sicut animae sanctae post Christum vi-

ventes in extasi constitutae saepe totam passionem Christi in se ipsis aliquo modo sentiebant et cum Christo patiente compatiebantur, imo nonnunquam ipsa vulnerum Christi stigmata receperunt (e. gr. s. Franciscus Assisiens.), ita jam homines sancti ante Christum viventes e. gr. David et alii prophetae nonnunquam in visione extatica Christi passionem non tantum praevidebant, sed etiam in semetipsis quasi praesentiebant et cum Christo passuro compatiebantur. Ideo David in hoc ps. ex persona Christi patientis loquitur.

Argumentum. In I. p. v. 2-22. praedicitur passio Messiae, in II. p. v. 23-32. describuntur hujus passionis fructus et effectus. Pars prior iterum in tres strophas dividi potest: in I. str. v. 2-12. continentur preces et querelae Messiae patientis, in str. II. v. 13-19. passio Messiae per partes describitur et quidem *a)* persecutio vehementissima ex parte adversariorum (v. 13-14) *b)* distentio membrorum violenta et anxietas cordis ob congestionem sanguinis (v. 15) *c)* sitis ardentissima (v. 16) *d)* perforatio manuum et pedum (v. 17) *e)* spoliatio et divisio vestimentorum (v. 19.); demum in III. str. v. 20-22. preces renovantur. Etiam pars II. in tres strophas dividitur: in I. str. v. 23-25, praedicitur constitutio ecclesiae magnae ex Israele spirituali fundandae; in II. str. v. 26-27. praenuntiatur institutio sacrificii eucharistici universalis et coenae sacrificae animas vivificantis; in III. str. v. 28-32. praedicitur conversio omnium gentium, dominium Dei universale, cultus Dei per totum orbem propagandus et in aeternum duraturus.

Sens. Messian. Ps. 21. juremerito oratio prophetica in agonia Domini nominari potest. Hunc psalmum directe ad Messiam esse referendum, probatur:

1) **Ex testimonio Christi** ipsius, qui in cruce pendens verba hujus ps. ad semetipsum referebat (Mat. 27, 46).

2) **Ex testimoniis Evangelistarum et Apostolorum,** qui verba hujus ps. pluries allegant et contendunt, ea in Chr. adimpleta esse; singulos locos in expositione speciali recensebimus.

4) **Ex consensu unanimi ss. Patrum.** Iste consensus ex innumeris locis in eorum scriptis ostendi posset. S. Justinus M. in dialog. cum Tryphon. totum ps. et singulos versus de Messia explicat. S. Irenaeus (adv. haeres. l. 4) vv. 8. 16. 19. allegat et ad Christum patientem refert. S. Cyprianus (Testimon. l. 2.) vv. 17-23. adducit et de Christo crucifixo ejusque regno exponit. Theodoretus (in scho-

liis) de nostro ps. dicit: *hic ps. praenuntiat Domini Christi passionem, resurrectionem, conversionem gentium et totius terrae salutem.* S. Chrysostomus (homil. 10. in Gen. c. 1) contendit, Davidem in hoc ps. locutum esse *ἐκ προσώπου τοῦ Χριστοῦ*. S. Hieronym. (comment. in Matthaeum ad 27, 46) dicit: *impii sunt, qui psalmum istum ex persona David sive Esther et Mardochaei putant.* Demum S. Augustinus ait: *in ps. 21 humilitatem passionis suae per prophetiam Christus eloquitur.*

5) **Ex materia substrata** seu ex ipso argumento psalmi. Nam de subjecto hujus ps. talia ac tanta edicuntur, quae ad historiam David vel cujuscunque alterius personae nullo modo referri possunt. Si autem noster ps. de Messia patiente, crucifixo et resuscitato intelligitur, tunc omnia facilem explicationem et sensum naturalem habent. Quilibet partium studio et praejudicata opinione non seductus, si singulos versus cum singulis factis ex historia passionis Christi confert, confiteri debet, psalmum 21 in Christo litteraliter esse adimpletum.

Etiam Judaei antiquiores psalmum nostrum de futuro Messia interpretati sunt, Judaei recentiores autem jam ex odio Christianorum hanc expositionem rejiciunt, et psalmum potius de tristi judaicae nationis statu explicant.

Annotationes. V. 1. *pro susceptione matutina* = ad auxilium tempestivum obtinendum; in t. hebr. est: super cervam aurorae = juxta melodiam cantici, quod titulum habet *cerva aurorae*; juxta alios tempus indicatur scil. *cerva aurorae* = prima lux, primum mane. Caeterum verus sensus hujus inscriptionis neque ex textu masorethico neque ex versionibus cum certitudine erui potest.

V. 2. Verba: *respice in me*, in textu masoreth. et in citato apud Matth. 27, 46. et Marc. 15, 35. desunt; Bickell autem in opere: Carmina V. T. metrice (Oeniponte 1882) p. 13 ea retinet. *quare me dereliquisti.* Bellarminus ad h. l. ita scribit: *Quod autem Chr. queritur, se derelictum a Deo, non significat eum fuisse derelictum a persona Verbi, quasi esset dissoluta unio hypostatica, vel destitutum a gratia et benevolentia Patris, sed significat, permissum fuisse a Deo, ut ipse in humana natura pateretur horribilia illa tormenta et mortem ignominia plenam. Neque orta est querimonia illa ex impatientia vel ab ignorantia, quasi Chr. ignoraret causam suae passionis aut non libenter ferret, se a Patre in illis doloribus derelictum, sed fuit querimonia illa protestatio quae-*

dam acerbissimae passionis. longe a salute mea verba delictorum meorum=longinquus sum a salute mea propter delicta mea. Vox *verba* h. l. per hebraism.=causa; ergo sens. est: delicta totius mundi in me suscepta sunt causa, ut longinquus sim a salute, seu ut a morte salvari non possim. Text. hebr. ita habet: (quare) procul es a salute mea, a verbis gemitus mei=cur me non vis salvare neve preces et gemitus meos exaudire? Bellarminus sensum text. lat. ita reddit: delicta totius mundi, quae in me suscepi, non possunt conjungi cum mea salute, ideo necessarium est, ut patiar et puniar, si ea purgare volo.

V. 3. Sens.: etiamsi preces meae non ita exaudiantur, ut liberer a morte corporali, tamen non sunt insipientes, quia modo sublimiore exaudiar (per resurrect.). Alii putant, verba *non ad insipientiam mihi* esse=non propter iniquitatem **meam** (insipientia=iniquitas). Tunc sens. esset: Deus preces meas non exaudit propter peccata aliorum, non propter peccata mea. Text. hebr. ita vertitur: clamo per diem et non exaudis, et nocte et non est silentium mihi.

V. 4. Sens.: etiamsi non statim exaudiar, tamen non est desperandum, nam Deus, qui est gloria populi Israelitici in ceolo habitat ad auxilium paratus.

V. 5. et 6. Sens.: patres nostros semper exaudisti et ex omnibus necessitatibus liberasti, cur me non exaudis? *non sunt confusi*=spe sua non sunt frustrati.

V. 7. *vermis*=vilissimus et despectissimus; tertium comparationis est conditio misera et contemptibilis. *et non homo* cf. Is. 53, 3. Joan. 19, 5. *abiectio plebis*=abiectus a plebe. Christus revera a populo Israelitico rejectus imo Barabbae homicidae postpositus est (Mat. 27, 20.).

V. 8. *locuti sunt labiis* hebr.: diducunt seu distorquent labia. *moverunt caput* scil. in signum derisionis et contemptus (cf. Mat. 27, 39).

V. 9. Haec sunt verba ironica adversariorum cf. Mat. 27, 43. *quoniam vult eum*=quia diligit eum.

V. 10. Ab initio supplenda sunt verba: utiquae tu o Deus me diligis, quoniam.... *extraxisti me de ventre*=tibi debeo vitam meam. *spes mea ab uberibus matris m.*=objectum et causa spei meae ab infantia mea.

V. 11. *in te projectus sum ex utero.* Alluditur ad morem Hebraeorum, apud quos pater infantem neonatum in sinum suum ac-

cepit et hoc modo tanquam suum agnovit pro eoque providere se obligavit. In vaticiniis V. T. nunquam de patre **humane** Messiae sermo est, sed de Patre divino et matre humana cf. Is. 7, 14. Mich. 5, 3.

V. 12. *tribulatio proxima est*=passio et mors mea jam instat. *non est, qui adjuvet*=non est mihi alius adjutor.

V. 13. Adversarii Messiae comparantur cum bestiis feris ad indicandam eorum atrocitatem et crudelitatem. *vituli multi* juxta nonnullos=homines plebeji; *tauri pingues*=principes populi et summi sacerdotes.

V. 14. Sicut leones rugientes ad praedam ita summi sacerdotes et principes populi contra Christum os suum aperuerunt, quando testimonia falsa quaesierunt, quando consilium inierunt, ut eum caperent, quando eum mortis reum judicarunt, tandem quando ejus crucifixionem postularunt.

V. 15. *sicut aqua effusus sum.* Haec verba de defectione omnium virium et de impotentia absoluta intelligenda sunt. *dispersa sunt omnia ossa mea*=propter distentionem membrorum in cruce omnia ossa disjuncta ed distracta sunt. *factum est cor meum tanquam cera liquescens*=sicut aqua effusus s., v. supra. *in medio ventris mei*=in interioribus meis.

V. 16. *aruit tanquam testa....*=virtus vitalis ita consumpta est, sicut ex testa lutea igne arefacta omnis humor evanescit. *lingua mea....* cf. Joan. 19, 20. *faucibus meis*=palato meo. *in pulverem mortis*=ad sepulchrum.

V. 17*a*. Sens.: adversarii mei sicut canes latrantes et mordentes me circumdant et persequuntur.

V. 17*b*. Loco verbi *foderunt* in text. masoreth. legitur vox quae significat *sicut leo*=kaᵃrî. Interpretes graeci sine dubio legerunt: kaᵃrû vel karû=foderunt seu perforarunt. Lectionem masoreth. esse falsam et corruptam elucet 1) ex versionibus antiquis syriaca, graeca (70=ὤρυξαν), Vulg., S. Hieronymi (*fixerunt)* etc. 2) ex contextu; nam verba: *circumcingunt sicut leo manus meas et pedes meos* non dant bonum sensum; 3) ex sententia unanimi ss. Patrum, qui omnes lectionem versionis 70 et Vulg. defendunt.

Nonnulli contendunt, in crucifixione apud Romanos usitata pedes non fuisse perforatos; attamen contrarium probari potest: 1) ex scriptoribus profanis cf. e. gr. Plautus in Mostellaria act. 2. sc. 1; 2) ex Tertulliano, qui (advers. Marcion. l. 3.) ita loquitur: *si*

adhuc quaeris dominicae crucis praedicationem, satis jam tibi potest facere ps. 21. totam Christi continens passionem canentis: foderunt manus meas et pedes meos, quae **propria** *est atrocitas crucis;* 3) generatim ex modo loquendi ss. Patrum, qui perforationem pedum uti rem per se patentem supponunt; 4) demum etiam ex Evang. Luc. 24, 39. et Joan. 20, 15., ubi Chr. redivivus Apostolos attentos reddit ad vulnera pedum suorum dicens: *videte manes m. et pedes m., quia ego ipse sum;* cf. Zach. 12, 10.

V. 18. *dinumeraverunt omnia ossa mea*=tanta violentia omnia membra mea distracta sunt, ut ossa mea facile dinumerari possint. In hebr. est futur. potentiale. *inspexerunt in me*=oculos suos pascunt in contemplanda conditione mea miserrima. *Quibus utique verbis in cruce corpus significat extentum, manibus pedibusque confixis et clavorum transverberatione confossis eoque modo se spectaculum considerantibus et conspicientibus praebuisse* (S. Augustin.).

V. 19. *diviserunt sibi vestimenta mea....* in hebr. est futurum. Adimpletionem hujus vaticinii contestantur Evangelistae Mat. 27, 33. Marc. 15, 24. Joan. 19, 23 sq. Si vestes alicujus jam dividuntur, signum est, nullam amplius spem vitae ei relinqui.

V. 20. *conspice in me* hebr.: festina.

V. 21. *a framea*=a gladio seu generatim a morte. *animam m.*=vitam m. *canis*; inimici Christi ob eorum impetum et pertinaciam canes dicuntur, quia Salvatorem sicut canes lanionis ad mortem duxerunt. *unicam m.*=animam m. seu vitam m.

V, 22. *a cornibus unicornium*=a potestate adversariorum. Quaenam in specie animalia nomine unicornium intelligantur, incertum est, at certum est, intelligi animalia ferocia. *humilitatem meam*=me humiliatum; in t. hebr.=libera me.

V. 23. Cf. Hebr. 2, 12. Haec verba Apostolus l. c. ponit in ore Christi resuscitati a morte. Fructus passionis Christi pro nobis est nostra filiatio ex Deo *(υἱοθεσία)* et fraternitas cum Christo cf. Joan. 20, 17. Rom. 8, 29. Christiani a Chr. uti fratres assumpti sunt semen Jacob spirituale, filii Abraham veri per fidem Rom. 9. 8.

V 24. Membra: *qui timetis Dominum* et: *universum semen Jacob*, sibi sunt parallela; ex hoc elucet, omnes timentes Deum pertinere ad semen Jacob in sensu spirituali.

V. 25. *deprecationem pauperis* i. e. Christi patientis. *cum clamarem ad eum exaudivit me*=Chr. a morte resuscitatus modo no-

biliore salvatus et exauditus est, quam in casu si mortem subire non debuisset cf. Hebr. 5, 7.

V. 26. *apud te laus m.* = tu es objectum laudis meae. *vota mea*; psalmista alludit ad sacrificia votiva (eucharistica), quae Hebraei in rebus arduis vovebant et votis potiti in gratiarum actionem offerebant.

V. 27. *edent pauperes* scil. de illa coena eucharistica. Nam sicut apud Hebraeos cum sacrificiis eucharist. coena sacrifica conjuncta erat, ita etiam cum sacrificio eucharist. a Christo instituto coena conjungitur, de qua pauperes spiritu participare possunt. Effectus hujus coenae sunt: *a)* saturitas spiritualis i. e. expletio indigentiarum animae (*saturabuntur*.... cf. Joan. 4, 13 sq.) *b)* cultus Deo conveniens praestitus a fidelibus (*laudabunt D.*) *c)* vita spiritualis aeterna (*vivent* corda eorum...... cf. Joan. 6, 27. 52). *qui requirunt eum* = homines fideles et pii, qui Dominum et cibum illum coelestem toto corde quaerunt. *requirere* = quaerere.

V. 28. Morte Christi paries separans inter Judaeos et alias gentes destructus est (Eph. 2, 14), gentiles qui veri Dei obliti erant, iterum ipsius reminiscuntur et ad ipsum convertuntur atque hoc modo in Christo et per Chr. universae familiae gentium benedictionem accipient juxta promissionem Dei Abrahamo factum (Gen. 22, 18. ps. 71, 11) omnesque de una coena sacrifica participare possunt cf. I. Cor. 10, 17.

V. 29. In V. T. theocratia restricta erat ad populum Israeliticum, post mortem Christi autem per fundationem ecclesiae christianae universalis facta est cf. ps. 71, 8. 9. ps. 2, 8.

V. 30. *manducaverunt et adoraverunt* = manducabunt et adorabunt. *pingues terrae* = nobiles et divites. *qui descendunt in terram* (hebr. in pulverem) = homines mortales; juxta alios = pauperes et humiles. *in conspectu ejus cadent omnes* = coram eo omnes procident seu sese posternent.

V. 31. *anima mea illi vivet* = ego (Messias) vivo in honorem Dei Patris. *semen meum* = posteritas Christi spiritualis seu discipuli Christi.

V. 32. *annuntiabitur* = adscribetur. *generatio ventura* = semen Messiae (in v. 31). v. *coeli* in t. hebr. deest. *justitiam ejus* = justitiam Christi, non illam, qua ipse justus est, sed qua discipulos suos justificat. *populus qui nascetur* = generatio ventura = semen Christi. *quem fecit D.* = populus ille est populus Domini. Text. ma-

soreth. in v. 31. et 32. corruptus esse videtur; Bickell (l. c. p. 14) eum emendare conatur et textum sic emendatum ita vertit (v. 30 c-32): *et illius, qui suam ipsius animam non vivam conservavit, semen adnumerabitur Domino. Generationi venturae annuntiabunt justitiam ejus, populo nascituro, quia ipse fecit.*

Usus liturg. Ps. 21. in officio divino occurrit: 1) in Parasceve Domini, qua memoria anniversaria passionis Christi celebratur, 2) qualibet feria 6. per annum, quia haec feria memoriae passionis Christi dedicata est, 3) in officio quinque Vulnerum (v. 17), 4) in festo ss. Cordis Jesu (v. 15*b*), 5) feria 5. in coena Domini inter denudationem altarium (v. 19), 6) in festo 7 dolorum B. Mariae V., quia Maria cum Christo compatiebatur et omnes dolores Filii sui in corde suo sentiebat (cf. etiam vv. 10. et 11.).

Psalmus XXII.

Occasio historica et scopus. David hunc ps. probabiliter in aetate provectiore et quidem eum in finem concepit, ut providentiam Dei in tota vita sua manifestatam praedicaret et inconcussam suam fiduciam in auxilio divino demonstraret, Attamen in sensu latiore psalmus ad totum populum Israelit. pertinet, qui saepe grex vocatur, cujus pastor Deus est cf. ps. 73, 1. 78, 13. Is. 40, 11. Ez. 34, 11. In sensu typico ps. 22. ad operam et curam refertur, quam Chr. pro nostra salute impendit, qui se ipsum nominat pastorem bonum, cujus nos oves sumus Joan. 10, 11 sqq. cf. I. Pet. 2, 25. 5, 4.

Argumentum. In hoc ps. Deus describitur tanquam pastor bonus et providus hominum fidelium; et quidem in introductione (v. 1.) thema bipartitum positive et negative enuntiatur; in I. str. v. 2-4. pars prior thematis exponitur scil. cura Dei pastoralis per partes describitur, nempe Deus *a)* praebet bonam pascuam (v. 2*a*) *b)* reficit et recreat animam (v. 2*b*) *c)* deducit nos ad viam rectam et justam (v. 3) *d)* protegit nos in maximis periculis (v. 4); in II. str. v. 5-7. pars posterior thematis evolvitur i. e. gratiae et bona spiritualia hominibus a Deo concessa singillatim recensentur.

Annotationes. *D. regit me;* hebr. D. pastor meus est.

V. 2. Praeteritum in hoc et sequentibus versiculis juxta analogiam linguae hebr. significationem temporis praesentis habet. *educavit me*, hebr.: deducit me. *aqua refectionis*=aqua reficiens (he-

braism.). In lingua hebr. adjectivum saepe genitivo nominis abstracti exprimitur. Sub *pascua* et *aqua refectionis* in sens. spirit. omnia media salutis intelliguntur.

V. 3*a*. *animam m. convertit*, hebr.: restituit=animam meam ita reficit ut vires priores ei restituantur.

V. 3*b*. Sens.: Deus ad vitam rectam et justam agendam et ad observanda praecepta sua me inducit, ita ut peccandi pericula evitare possim; hoc autem non propter mea merita sed propter nomen seu honorem **suum** facit.

V. 4. Sens.: etiam in maximis periculis nihil timeo, quia Deus potentia et providentia sua mihi semper assistit. *virga tua et baculus tuus;* virga et baculus pastoralis h. l. providam Dei gubernationem ejusque omnipotentem protectionem significant. Alii putant, virgam indicare paternam castigationem, baculum autem protectionem. *me consolata sunt*=animam securitatis et consolationem praebent.

V. 5. Imagine convivii opulenti gratiae indicantur, quas Deus veluti hospes amicissimus fidelibus suis elargitur. *adversus eos, qui tribulant me*=hoc convivio spirituali novas vires recipio in pugna contra inimicos meos. *impinguasti in olio caput meum*; unctio cum oleo inter convivia festiva in Oriente communiter usitata erat cf. Luc. 7, 46.; h, l. oleum est symbolum gratiae divinae. *calix meus inebrians quam praeclarus est* =portio gratiarum a Deo mihi assignata praeclara et abundans est. *inebrians*=abundans.

V. 6. et 7. Sens. litteral.: adjuvante gratia divina per totam vitam meam sanctuarium Dei visitare indeque consolationem et virtutem haurire potero. Sens. spirit. se refert ad commorationem aeternam in sanctuario coelesti. *et ut inhabitem*=ut inhabitare possim. *in longitudinem dierum*=semper vel in aeternum.

Usus liturg. In liturgia ecclesiatica ps. 22. praesertim ad Christum in ss. Eucharistiae Sacramento praesentem refertur, quia in nostro ps. juxta sensum spiritualem gratiae indicantur, quas Chr. per illud ss. Sacramentum nobis elargitur, scil. *a)* refectionem et nutrimentum praebet animabus nostris (v. 2.) *b)* convertit animas nostras eosque inducit ad vitam justam agendam (v. 3) *c)* in maximis animae periculis nos confortat et consolatur (v. 4) *d)* animas nostras contra insidias inimicorum salutis nostrae protegit et ditat gratiis (v. 5. et 6.) *e)* perducit nos ad domum Domini coelestem et ad vitam aeternam (v. 7). Ideo hic ps. in officio corporis Christi et

feria V. ad Primam occurrit; insuper recitatur in festo pretios. Sanguinis, quia Chr. effundens sanguinem suum se ostendit pastorem bonum (cf. Hebr. 13, 20), et in officio defunctorum (praesertim ob v. 4.) aliisque occasionibus.

Psalmus XXIII.

Occasio historica. Ps. 23. occasione translationis arcae Domini in montem Sion a Davide compositus est cf. II. Reg. c. 6. I. Paral. cc. 15. et 16. Arca foederis a tempore Josue usque ad tempus Heli pontificis simul cum tabernaculo s. erat in oppido Silo; sed tempore belli nonnunquam in castra portabatur, ut populus ad majorem fortitudinem excitaretur (cf. Jud. 20, 27). Sic etiam tempore Heli, quum bellum contra Philisthaeos gereretur, arca in proelium ferebatur, at hac occasione a Philistaeis capta est. Post septem menses autem ob poenas divinas eam iterum restituerunt; deinde per 20 annos in oppido Cariathiarim in domo Abinadabi asservata est (I. Reg. c. 4-7), unde David eam ducturus erat in montem Sion, sed morte repentina Ozae, qui arcam irreverenter tetigerat, perterritus eam interim in domo Obededomi reliquit, donec eam demum post tres menses solemni modo in montem Sion transferri et in tabernaculo ibi erecto collocari jussit (II. Reg. 6, 1-15).

Argumentum. Pars I. v. 1-6. est carmen ascensionis, quod ad pedem montis Sion vel in ascensu decantabatur; in I. str. hujus partis v. 1-2. Dei omnipotentia, majestas et dominium universale celebratur, in II. str. v. 3-6. virtutes et proprietates indicantur quibus illi ornati esse debent, qui ad montem Dei ascendere et in sanctuario corversari volunt.

P. II. v. 7-10 est carmen introitus, decantatum ante portas arcis Sion; in hoc cantico psalmista usurpata figura poetica principes alloquitur et adhortatur, ut aperiant portas ad excipiendum regem gloriae.

Forma externa. Hic ps. fere per modum dialogi compositus est alternante duplici choro et voce singulari juxta sequens schema: 1) chorus ad pedem montis Sion v. 1-2.; 2) vox singularis v. 3; 3) alia vox v. 4; 4) chorus v. 5-6.; 5) chorus ante portam arcis Sion v. 7; 6) vox singularis v. 8*a*; 7) chorus v. 8*b*-9; 8) vox singul. v. 10*a*; 9) chorus v. 10*b*.

Sens. typicus. Ps. 23. a multis ss. Patribus refertur ad glo-

riosam ascensionem Christi in coelum, cujus *portae aeternales* clausae erant usque ad tempus, quo Chr. rex gloriae numerosa turba sanctorum stipatus ad coelum ascendit illudque pro omnibus asseclis suis reseravit. Ita e. gr. Gregorius Nyssen. in orat. de ascens. Domini psalmum nostrum allegans dicit: *hodiernam celebritatem satis per se magnam propheta David majorem efficit dum illi gaudium de psalmis adjungit.* Nonnulli alii autem partem II. de primo Christi adventu in hanc terram explicant et contendunt, eam esse parallelam cum vaticinio Is. 40, 3-5.

Annotationes. V. 1*a*. *prima sabbati*=prima die post sabbatum i. e. prima die hebdomadis ps. cantandus est. Haec inscriptio in textu hebr. deest et a 70 in usum liturgicum addita esse videtur.

V. 1*b* Absolutum Dei dominum super omnem terram omnesque terrae incolas enuntiatur.

V. 2. Ab initio tota terra aquis erat circumdata; sed tertio creationis die Deus aquas congregavit in unum locum et tali modo terra arida seu firma apparuit super maria et flumina elevata, a. v. Deus superficiem terrae altiorem fecit superficie maris et fluminum. Psalmista in hac I. str. populum in solemni arcae translatione advertere vult, quam magnus et potens sit ille Deus, qui super arcam speciali modo praesens est uti protector populi theocratici.

V. 4. cf. ps. 14, 1. 3. *innocens manibus et mundo corde*= probus et justus in actionibus et cogitationibus. *qui non accepit in vano animam s.*=qui animam suam seu cogitationes s. non convertit ad res inanes et iniquas. *nec juravit in dolo proximo s.*= qui non utitur perjurio ad decipiendum proximum. Ideo h. l. requiritur probitas in cogitatione, verbo et opere.

V. 5. Sens.: talis homo, qualis supra describitur, gratias in sanctuario Dei obtinere potest. *a Deo salutari s.*=a Deo salvatore s.

V. 6. Sens.: tales esse debent, qui Deum modo digno colere et in sanctuario Dei apparere volunt. *quaerere Deum*=Deum colere. *quaerere faciem Dei*=desiderare praesentiam Dei. — Str. II. (v. 3-6) optimum meditationis argumentum praebet pro iis, qui se praeparant ad s. communionem suscipiendam vel ad missae sacrificium celebrandum.

V. 7. *attollite portas principes vestras.* Juxta Vulg. psalmista principes adhortatur, ut portas arcis Sion aperiant, sed tex. hebr. ita vertitur: *attollite o portae capita vestra*=aperimini. *aeternales*= antiquissimae. *et introibit*=ut introire possit. *rex gloriae*=Deus

speciali modo praesens in nube super arcam inter duos Cherubim cf. Ex, 40, 31 sq. Lev. 16, 2.

V. 8. *potens in proelio*; ita Deus nominatur, quia ipse erat proprius populi Israelitici bellidux eumque in proeliis potenter et fortiter protexit. In sensu spirituali epitheta *rex gloriae* et *potens in proelio* ad Christum referuntur, qui devicto diabolo et morte gloriosus ad coelum ascendit ejusque portas reseravit.

V. 10. *Dominus virtutum*, hebr. exercituum. Deus est dominus exercituum terrestrium et coelestium scil. angelorum.

Psalmus XXV.

Occasio historica. Nonnulli putant, hunc ps. a Davide occasione persecutionis a Saule ipsi paratae compositum esse, alii eum referunt ad tempus, quo David a filio suo Absalom fugere debuit. Quum autem neutra ex his conjecturis cum argumento psalmi ommino convenire videatur, potius dicendum est, occasionem specialem, qua hic ps. compositus sit, cum certitudine non posse indicari.

Argumentum. In str. I. v. 1-3. psalmista innocentiam suam protestatur et confidenter ad judicium divinum provocat; in II. str. v. 4-8. argumenta probitatis suae tum negativa tum positiva adducit; in III. str. v. 9-12. preces ad obtinendum auxilium et protectionem divinam emittit atque pollicetur, se gratiarum actionem in sactuario esse peracturum.

Annotationes. V. 1. *Judica me*; psalmista innocentiae suae conscius audacter judicium divinum appellare potest. *non infirmabor*=in judicio divino non perdam causam meam, sed victoriam reportabo; juxta alios=non deficio seu non vacillo in fiducia mea.

V. 2. Sens.: non timeo diligentem et accuratam inquisitionem imo neque examen cogitationum et appetitionum animae recuso. *tenta* =accurate explora. *ure;* imago ab exploratione seu purgatione auri et argenti in igne desumpta est. *renes*=sedes appetitionum. *cor*= sedes facultatum animae superiorum.

V. 3. Sens.: nullam perversitatem in me invenies, quia nihil aliud quaero, quum ut gratiam tuam conservare possim, et quia omnes actiones meas juxta veritates a te revelatas instituo. *complacui* hebr.: ambulavi.

V. 4. Sens.: nullam societatem habeo cum hominibus impiis. *cum concilio vanitatis* hebr.: cum viris iniquitatis. *introibo*=ambulo; in hebr. est futur. convers.=praet. vel praes.

V. 5. *ecclesiam*=congregationem. *cum impiis non sedebo*=cum impiis nullam societatem habeo. *sedebo* est futur. convers., ideo= praet. vel praes.

V. 6. *lavabo*=lavare possum. Lotio manuum symbolice innocentiam in actionibus significat cf. Deut. 21, 6. 7. Mat. 27, 24; alluditur ad ritum Hebraeorum, qui ante ingressum in sanctuarium se ipsos lotione liturgica purificabant. *circumdabo altare tuum*= possum accedere ad altare vel circumire altare.

V. 7. Offerentes sacrificia eucharistica altare holocaustorum circumibant cantica laudis i. e. psalmos cantantes cf. ps. 26, 6. *ut audiam vocem laudis;* s. Hieron. vertit: ut clara voce praedicem laudem.

V. 8. *dilexi*=diligo. *domus Dei*=tabernaculum. *locus habitationis gloriae divinae*=*sanctum sanctorum* in tabernaculo, quia ibi super arcam foederis Deus speciali modo praesens erat uti protector populi Israelitici (shechinâ) cf. Joan. 1, 14.

V. 9. *viri sanguinum*=homines, qui crimina cruenta et enormia e. gr. homicidium committunt.

V. 10. *in quorum manibus iniquitates sunt*=quorum actiones iniquae sunt; nam manus metaphorice actiones hominum significant. Alii putant, *iniquitates* esse=bona injuste acquisita. *dextera eorum repleta est muneribus*=acceptis muneribus injuste agunt aut injuste judicant; vel juxta alios=muneribus suis judices corrumpunt.

V. 12*a*, Sens.: mea agendi et conversandi ratio permanenter justa et recta est. *in directo*=in via recta.

V. 12*b*. Sens.: auxilio divino obtento cantabo laudem Dei in congregationibus sacris.

Usus liturg. Ps. 25. praeter alias occasiones praesertim feria 4. ad Primam et pars. a v. 6-12. in missa ad *Lavabo* recitatur. Sacerdos ita comparatus esse debet, ut semper praecipue autem in celebratione missae verba hujus psalmi ex corde recitare et ad se applicare possit. Ipse *a)* in tali conscientiae statu versari debet, ut judicium et examen Dei non timeat (v. 1-3) *b)* alienus esse debet ab omni conversatione et societate cum impiis (v. 4-5) *c)* sanctuarii amantissimus et assiduus sit in ministerio s. et cultu divino celebrando (v. 6-8) *d)* probus et integer sit in tota sua vita et conversatione (v. 9.12).

Psalmus XXVI.

Auctor et occasio historica. Auctor hujus ps. est David, uti elucet ex inscriptione; sed tempus compositionis cum certitudine indicari non potest. In titulo quidem legitur: *priusquam liniretur*, 70: *πρό τοῦ χρισθῆναι;* David autem ter unctus est in regem: prima vice a Samuele (I. Reg. 16, 1-13), secunda vice in urbe Hebron, quum post mortem Saulis constitueretur rex super tribum Juda (II. Reg. 2, 4), tertia vice in eadem urbe a legatis reliquarum tribuum, quum eligeretur rex super totum populum Israelit. (III. Reg. c. 5). Si inscriptio authentica est, tunc probabiliter secunda unctio intelligenda est. Attamen quia haec verba in textu hebr. et in plurimis codicibus vers. 70 non inveniuntur, de eorum authentia valde dubitandum est. Ex argumento psalmi eruitur, auctorem quum psalmum componeret procul degisse a sanctuario et a multis adversariis infestatum fuisse. Ideo juremerito concluditur vel persecutionem Saulis vel rebellionem Absalomi huic ps. componendo ansam dedisse.

Argumentum. In I. str. v. 1-3 psalmista enuntiat firmam fiduciam in auxilio divino; in II. str. v. 4-6. summum amorem et ardentissimum desiderium sanctuarii Dei exprimit; in III. str. v. 7-12. enixas emittit preces ad impetrandum auxilium divinum contra adversarios; in IV. str. v. 13-14. renovat firmae fiduciae protestationem.

Annotationes. V. 1. *illuminatio* = lux, quae est imago gratiae et felicitatis.

V. 2. S. Hieron. ita vertit: *cum adpropinquarent mihi maligni, ut comederent carnem meam, hostes mei et inimici mei, ipsi impegerunt et ceciderunt.* Psalmista vult dicere: adversarii **me** delere et ad ruinam perducere voluerunt, sed Deo disponente **ipsi** infirmati sunt et interierunt. *edere carnem* = delere, occidere cf. Deut. 7, 16. Jer. 10, 25. 30, 15.

V. 3. *si* = etiamsi. *in hoc* = hoc non obstante.

V. 4. *unam, hanc* = unum, hoc; est hebraism., nam in lingua hebr. non datur propria forma ad indicandum neutrum, ideo foemininum supplet etiam neutrum. In Vulg. suppleri debet vox *gratiam. ut inhabitem in domo Domini* = ut commorari possim apud sanctuarium. *ut videam voluptatem Donimi* = ut gratia et beatitu-

dine gaudeam, quae ex presenatia Dei percipitur. *templum*=tabernaculum.

V. 5. Sens.: Deus tempore tribulationis ex adyto tabernaculi sui me protegit. *absconditum tabernaculi*=sanctum sanctorum, quod omnibus absconditum et impervium erat solo pontefice excepto; vel =coelum. *abscondit*=protegit. *in* h. l.=ex.

V. 6. Praeterita in h. v. sunt conversiva i. e. futura. *in petra exaltavit me*=collocabit me in loco sublimi et munito quo securus ero. *et nunc*=et tunc. *exaltavit caput m.*=victoriam mihi tribuet. *circuivi* cf. ps. 25, 6. 7. *vociferationis*=laudis (70 αἰνέσεως) vel gratiarum actionis.

V. 7. Psalmista antea in spiritu suo abreptus in tempus futurum nunc iterum redit ad tribulationem praesentem. *exaudi* =audi.

V. 8. Sens.: anima mea quaerit faciem tuam=desidero venire ad conspectum tuum seu ad praesentiam tuam gratiosam. *cor meum* =affectus meus. Juxta sententiam Bickell (l. c. p. 17) verba: *exquisit te facies m.* delenda sunt. *exquirere*, *requirere*=quaerere.

V. 9. *ne declines a servo t.*=ne rejicias me. *Deus salutis m.* =Deus salvator m.

V. 10. Sens.: etiamsi illi qui mihi propinquissimi et amicissimi erant, me dereliquerint, tamen Deus me non derelinquit et est protector meus. *pater m. et mater m. dereliquerunt me*=modus loquendi proverbialis ad indicandam totalem derelictionem et solitudinem cf. ps. 68, 9. 87, 19.

V. 11. Sens.: doce me normam agendi et ostende mihi viam rectam a te destinatam, ne adversarii mihi nocere possint.

V. 12. *ne tradideris me in animas tribulantium*=ne tradas me arbitrio seu vindictae inimicorum. *testes iniqui*=calumniatores. *mentita est iniquitas sibi*=iniquitas adversariorum non mihi sed ipsis perniciem afferet; vel: contra propriam persuasionem isti calumniatores mendacia contra me spargunt.

V. 13. Proxime haec verba ad gratias in sanctuario V. T. et in terra s. obtinendas, in sensu autem pleno ad bona aeterna in coelo referenda sunt; idem valet de v. 4. et 8. *credo*=firmam fiduciam habeo. *terra viventium*=terra, in qua vita non amplius est in periculo; in sens. pleno=coelum, ubi vita aeterna est.

V. 14. Apostrophe ad animam propriam. *expecta D.*=spera in D. *viriliter age*=esto fortis sicut vir cf. Deut. 31, 6. 7. ps. 30, 25. *sustine Domin.*=confide in Domino.

Psalmus XXXI.

Auctor et occasio historica. Auctorem hujus ps. esse Davidem tum ex inscriptione in v. 1. eruitur tum ex epist. ad Rom. 4, 6-8. elucet, quia ibi verba ex hoc ps. (v. 1-2) allegantur et Davidi attribuuntur. Occasio historica ex argumento patet; sine dubio ps. ex illo tempore derivatur, quo propheta Nathan Davidi peccatum confesso condonationem culpae annuntiavit cf. II. Reg. 12, 13.

Argumentum. In I. str. v. 1-2. David beatitudinem eorum celebrat, quibus Deus peccata condonavit; in str. II. v. 3-5. miseram conditionem describit, in qua versabatur, antequam sincera delictorum confessione remissionem culpae assecutus est; in III. str. v. 6-8. Deum celebrat tanquam refugium et protectorem peccatoris poenitentiam agentis; in IV. str. v. 9-12. psalmista omnes admonet, ut libenter non tantum coacti sicut animalia irrationalia praeceptis divinis obediant; deinde peccatoribus castigationem, justis autem praemium et gaudium prenuntiat.

Annotationes. V. 1. *ipsi David* ≠ a Davide. *intellectus*, in vers. Alex. συνέσεως scil. ᾠδή hebr. maskil = carmen didacticum. *beati quorum....* hebr.: beatus, cujus iniquitas sublata et cujus peccatum coopertum est. Verbum *tegere* h. l. = removere, remittere, uti ex parallelismo membrorum elucet. Peccatum, quod coram oculis Dei contectum est, certe non amplius adest et omnino exstinctum esse debet cf. ps. 50, 9. 11. 84, 3. 102, 12. Mich. 7, 19. *Nemo melius novit, quam dulcis sit sanitas, quam is qui amissam deflet. David tunc primum vere agnovit, quam dulce sit carere peccatis, quando amaritudinem peccati gustavit.* (Bellármin).

V. 2. *cui non imputavit* = cujus peccatum Deus remisit et delevit; nam peccatum adhuc in anima existens Deus justissimus et omniscius etiam imputare debet. Hoc idem elucet ex membro parallelo: *nec est in spiritu ejus dolus*; etenim si peccatum nondum deletum esset, tunc *dolus* (= peccatum) adhuc in anima adesset. H. l. non exhibetur descriptio integrae justificationis sed tantum partis negativae, ideo pars positiva ex aliis locis parallelis suppleri debet cf. ps. 50, 9. 11. Apostol. Paulus Rom. 4, 6 sqq. v. 1. et 2. hujus ps. allegat ad demonstrandum, neminem justificari ex propriis operibus, quae gratiam praecedunt. Protestantes ex h. l. duo falsa dogmata probare conantur: 1) justificatio in sola peccatorum remis-

sione non autem in gratiae sanctificantis infusione consistit; 2) ista remissio peccatorum non est vera et propria sed tantum imputativa. Istas falsas doctrinas Concil. Trident. sess. V. can. 5. sess. VI. cap, 7. et can. 11. condemnavit.

V. 3. *quoniam tacui* = quia peccata mea reticui seu non confessus sum. *inveteraverunt ossa mea* = vires meae imminutae et debilitatae sunt cf. ps. 6, 3. 50, 10. *cum clamarem* = quum ingemiscerem scil. ob moerorem et cordis anxietatem cf. ps. 6, 7.

V. 4. Sens. juxta Vulg.: propter graves poenas a Deo inflictas et ob conscientiae malae stimulum, qui me pungebat, in angustia mea iterum ad Deum conversus sum. Vox *spina* vel ipsum peccatum, vel potius conscientiam peccati indicat.

V. 5*a*. H. l. confessio peccatorum interna (coram Deo) et externa (coram hominibus) exprimitur cf. ps. 37, 19. 50, 5-6. In v. 5*b*. actus ad justificationem obtinendam necessarii tum ex parte hominis (confessio dolorosa) tum ex parte Dei (condonatio peccatorum) indicantur. Psalmista h. l. aperte alludit ad factum, quod II. Reg. 12, 1-13. narratur. *impietas peccati* = culpa peccati.

V. 6. *pro hac* (hebraism.) = propter hoc; vel = pro hac remissione peccatorum obtinenda. *orabit* = orare debet. *omnis sanctus* = omnis qui pertinet ad populum Israeliticum Deo sanctum, vel generatim omnis cultor veri Dei. *tempore opportuno* = tempore ad gratiam obtinendam opportuno. Sens. v. 6*b*.: etiamsi quasi diluvium tribulationum et poenarum immineant, tamen hominem pium, qui ad Deum se convertit non obruent.

V. 7. Psalmista Deum alloquitur. Obtenta indulgentia quoad culpam etiam poenae indulgentiam petit, nempe liberationem a tribulationibus, in quas ob peccatum inciderat. *a circumdantibus me* = a tribulantibus me. Text. hebr. ita verti potest: *Tu es refugium meum, ex angustia libera me, salvationis jubilo circumda me* cf. ps. 50, 14 *(laetitiam salutaris tui)*.

V. 8. Deus psalmistae precanti respondet eique gratiam illustrationis et confirmationis ad recte agendum et juste vivendum promittit. *firmabo super te oculos meos* = perseveranter te protegam et continuum adjutorium tibi exhibebo = gratia perseverantiae.

V. 9. Sens.: nolite imitari animalia irrationalia, quae solis cupiditatibus ducuntur; aliâs Deus vos poenis et castigationibus ad agnoscendum suum dominium constringere deberet, sicut equi et muli freno constringuntur. Juxta Vulg. in v. 9*a*. psalmista loquitur

ad homines, in v. 9*b*. ad Deum. *camus*=capistrum seu vinculum capitis. *maxillas eorum constringe* hebr.: constringere necesse est.

V. 10. Sens.: peccatorem impoenitentem poenae, justum autem et peccatorem poenitentem gratiae divinae exspectant.

Doctrinae dogmaticae in ps. 31. contentae: 1) Justificatio non est sola contectio seu non-imputatio peccatorum, sed vera eorum remissio et remotio (v. 1-2.). 2) Mala externa et calamitates peccatoribus ex una parte in vindictam seu poenam peccatorum immittuntur, ex altera parte in medicinam seu salutem scil. ut convertantur et poenitetiam agant (v. 4. 9. 10). 3) Contritio perfecta statim efficit remissionem peccatorum (v. 5*b*); cf. Catech. Roman. de Sacram. poenit. n. 34., ubi haec habentur: *quin etiam statim ut eam (contritionem perf.) mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui alio loco ejusdem prophetae (David) verba illa declarant: Dixi: confitebor advers. me....* 4) Actus praeparatorii ad justificationem obtinendam sunt sequentes; *a)* timor poenarum (v. 4) *b)* spes misericordiae divinae (v. 10) *c)* dolor de peccatis (v. 3) *d)* cognitio culpae propriae et sincera peccatorum confessio (v. 5) cf. Concil. Trident. sess. VI. de justif. cap. 6.

Psalmus XXXIII.

Occasio historica et forma poetica psalmi. Occasio, qua ps. 33. compositus est, in titulo indicatur; etenim David hunc psalmum concepit, postquam a periculo mortis, quod ex parte regis Philisthaeorum ipsi proxime imminebat, auxilio divino liberatus est. Factum istud I. Reg. 21, 10-15. fusius narratur. Quoad formam externam ps. pertinet ad s. d. alphabeticos.

Argumentum. In str. I. v. 2-4. psalmista propositum enuntiat Deum laudandi aliosque invitat ad hoc idem faciendum; in II. str. v. 5-7. enarrat se ad Deum confugisse et auxilio divino ab omnibus periculis et tribulationibus liberatum esse; in str. III. v. 8-11. demonstrat, omnes timentes Deum generatim auxilium et protectionem divinam sperare posse; in IV. str. v. 12-15. commendat timorem Dei et conditiones ad vitam beatam agendam necessarias indicat; in V. str. v. 16-23. praemia justorum et poenas impiorum describit.

Annotationes. V, 1. *cum immutavit vultum suum*=quum se insanum vel fatuum esse fingeret. *Abimelech* (=pater rex seu pater regis) est nomen regibus Philisthaeorum commune, sicut apud Aegy-

ptios *Pharao*, apud Romanos *Augustus* vel *Caesar*. Nomen proprium istius regis erat **Achis**, uti elucet ex I. Reg. 21, 11.

V. 3. *laudabitur* (signif. medial.)=gloriabitur. *mansueti*=humiles et oppressi.

V. 4. *in idipsum*=simul, conjunctim, seu: ad unum omnes.

V. 5. *exquisivi D.*=rogavi D., seu: auxilium D.i quaesivi.

V. 6. *illuminamini*=illuminabimini (imperat. pro fut.)=gratiam et consolationem percipietis.

V. 7. *iste pauper*=ipse David.

V. 8. *immittet angelus Domini*=se immittet, hebr.=comorabitur angelus. H. l. doctrina de angelo custode non obscure enuntiatur cf. ps. 90, 11.

V. 9. *gustate*=experimentum facite i. e. confugite ad Deum. *et videte*=tunc videbitis (imperat. pro futuro).

V. 10. *sancti ejus*=servi seu cultores Dei.

V. 11. Praeteritum h. l.=praesens. *divites eguerunt et esurierunt*=impii non obstantibus divitiis suis sine adjutorio Dei pauperes et miseri sunt. *inquirentes Dominum*=cultores Dei. Cf. I. Reg. 2, 6. 7. Luc. 1, 53.

V. 12. *filii;* psalmista qua doctor verae sapientiae loquitur, qui discipulos suos filios nominat.

V. 13. *qui vult vitam*=qui desiderat vitam felicem.

V. 14. Connexus inter v. 13. et 14. hic est: qui desiderat vitam beatam, prohibeat linguam etc. *dolus*=sermones mendaces et fraudulenti contra proximum cf. I. Pet. 3, 10 sq.

V. 15. *persequere eam*=conare, ut eam assequaris.

V. 16. figura anthropomorphismi providentia et benignitas Dei erga justos describitur.

V. 17. *super*=contra.

V. 18. Sens.: quando justi Dominum invocant, tunc certe eos exaudiet et a tribulationibus eripiet.

V. 19. Sens.: Deus homines afflictos in spiritu humilitatis ad ipsum recurrentes salvabit. *juxta*=propinquus.

V. 21. Celebratur providentia Dei specialis erga justos cf. Mat. 6, 25 sqq. 10, 30. *unum ex his non conteretur*=ne unum quidem membrum justorum peribit. Nonnulli haec verba referunt ad futuram resurrectionem corporalem, in qua omnia membra justorum integra et gloriosa restaurabuntur.

V. 22. *mors peccatorum pessima*=mors pro peccatoribus prae-

sertim ea de causa pessima est, quia eos abripit ad supplicium aeternum, sicut mors sanctorum ideo pretiosa est, quia transitum parat ad gloriam sempiternam cf. ps. 115, 15. Hoc l. doctrina de immortalitate animae et de futura compensatione non obscure innuitur; nam si post mortem omnia finita essent, tunc mors peccatorum non esset pejor morte justorum. *delinquent*=graviter peccabunt; in t. hebr.: poenam luent seu damnabuntur.

V. 23. *redimet* scil. ab omnibus miseriis. *non delinquent*=non punientur, non damnabuntur.

Usus liturg. Ps. 33 recitatur: 1) in festo omnium Sanctorum (cf. v. 3. 10. 13-16. 18) 2) in festo Reliquiarum (cf. v. 21) 3) in festis Angelorum (cf. v. 8) 4) in festo ss. cordis Jesu (cf. v. 9.).

Psalmus XXXVII.

Tempus compositionis. Ex aperta hujus ps. similitudine cum ps. 6. jure merito concludi potest, utrumque ps. fere eodem tempore eademque occasione a Davide esse compositum scil. illo tempore, quo totus in eo erat, ut de peccatis adulterii et homicidii poenitentiam ageret. Hic ps. est tertius inter poenitentiales.

Argumentum. In exordio (v. 2.) psalmista Dei misericordiam implorat; in I. parte v. 3-13. conditionem miserrimam, in qua propter peccata commissa versabatur, fusius describit et delicta sua coram Deo sincere confitetur; in II. p. v. 14-21. psalmista omnes calamitates patienter a manu Domini suscipiens causam suam totam confidenter Deo committit et tuto sperat, insidias adversariorum irritatum iri; demum in conclusione v. 22-23. enixas preces ad obtinendum Dei auxilium adjungit.

Annotationes. V. 1. *in rememorationem*=pro memoria. T. hebr. =ad oblationem sacrificii memorialis. *de sabbato*=ps. in sabbato cantandus est.

V. 2. Psalmista deprecatur, ne Deus eum puniat cum furore sed potius cum amore i. e. non recusat poenam medicinalem et temporalem attamen a se avertere vult poenam vindicativam et aeternam.

V. 3. *sagittae tuae*=calamitates et castigationes a Deo immissae. *manum tuam*=poenam tuam.

V. 4. Sens.: propter peccata mea indeque sequentem Dei castigationem corporis sanitatem et animae pacem amisi. *ossa.* h. l. =anima, uti e contextu elucet cf. ps. 50, 10*b*.

V. 5. Sens.: peccata mea tam gravia sunt et numerosa, ut me fere obruant et quasi pondus importabile animam meam opprimant. In v. *5a.* peccata et poenae peccatorum cum aqua inundante in v. *5b.* cum onere opprimente comparantur.

V. 6. Sens.: propter longam procrastinationem poenitentiae vulnera peccatorum meorum adhuc graviora et fere incurabilia facta sunt. *cicatrices* = funestae sequelae seu reliquiae peccatorum in anima remanentes vel = peccatum habituale. *insipientia* = peccatum quod maxima stultitia est.

V. 7. Sens.: conscientia peccatorum commissorum tum animam tum corpus meum valde deprimit.

V. 8. Sens.: anima mea plena est fallacibus pravae concupiscentiae tentationibus et corpus meum totum infirmum est. *lumbi* = sedes concupiscentiae carnalis. *illusiones* = fallaces tentationes.

V. 11*b*. Sens.: ob nimium fletum et continuam aegritudinem etiam lumen oculorum meorum valde debilitatum est. Nonnulli putant, sermonem esse de obcoecatione oculorum mentis.

V. 12. *adversum me appropinquaverunt* = contra me pugnant, adversarii mei facti sunt. *qui juxta me erant, de longe steterunt* = propinqui mei me derelinquunt. Ideo sensus v. 12. est: amici et propinqui mei vel me derelinquunt vel contra me pugnant.

V. 13. *qui quaerebant animam m.* = qui vitam mihi adimere conantur. *inquirebant mala mihi* = malum meum seu ruinam meam quaerunt et machinantur. *locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur* = consilia iniqua et dolosa contra me ineunt cf. II. Reg. c. 15.

V. 15. *redargutiones* = recriminationes. Psalmista non contradicit conviciis et opprobriis adversariorum, sed causam suam totam Deo committit.

V. 17. *nequando supergaudeant....* = ne laetentur de meo interitu. *magna locuti sunt super me* = jam de mea ruina gloriantur.

V. 18. *in flagella paratus sum* = paratus sum poenam peccatorum meorum subire.

V. 19. Sens.: peccata mea sincere confiteor de eisque valde doleo.

V. 20. *vivunt* = gaudent vita et felicitate. *confirmati sunt super me.* = firmiores et robustiores sunt quam ego.

V. 21. *detrahebant mihi* = mihi insidiantur. *quia sequebar bonitatem* = non propter peccata mea mihi adversantur, sed potius ideo quia sequor bonum ordinem et justitiam.

Momentum ethicum. In hoc ps. sequentes actus ad veram poenitentiam agendam necessarii aliquo modo indicantur: 1) cognitio peccatorum et gravitatis peccatorum (v. 4. 5. 8) 2) timor Dei salutaris (v. 2. 7.) 3) spes veniae obtinendae (v. 16) 4) dolor et detestatio peccatorum (v. 9-11. 18*b*) 5) sincera peccatorum confessio (v. 19) 6) promptitudo subeundi poenam et opera poenitentiae peragendi (v. 18*a*).

Psalmus XXXVIII.

Argumentum. In I. str. v. 2-4. psalmista enarrat, se non obstante vehementi dolore interno propositum concepisse cavendi a querelis contra divinam providentiam; in II. str. v. 5-8. ad Deum se vertit eumque precatur, ut ipsi finem calamitatum indicare velit, deinde miseriam humanam describit et fiduciam suam in auxilio divino enuntiat; in III. str. v. 9-12. indulgentiam peccatorum petit confitens, calamitates suas esse poenas iniquitatum suarum; in IV str. v. 13-14. enixis precibus Deum obsecrat, ut ipsi refrigerationem et liberationem a tribulationibus concedat.

Annotationes. V. 1. *ipsi Idithun*=ps. tradi debet Idithuno, qui tempore Davidico erat praefectus cantorum in sanctuario cf. I. Paral. 16, 41. 25, 1. II. Paral. 5, 12.

V. 2. *dixi*=propositum feci. *custodiam vias meas*=cautus ero in agendo et loquendo. *cum consisteret adversum me peccator*=etiamsi impii adversarii me persequerentur.

V. 3. *silui a bonis*=non locutus sum de bonis seu de felicitate mea; vel: non locutus sum de felicitate peccatoris.

V. 4. *exardescet ignis*=dolor meus sicut ignis exardescebat. *exardescet*, in hebr. futur. convers.=praeterit.

V. 5. *finem meum*=finem vitae, vel finem calamitatum. *numerus dierum*=tempus vitae. *quis est*=qualis sit. *quid desit mihi*,= in hebr.: quam caducus ego sim.

V. 6. *mensurabiles*=breves. *substantia mea*=tempus vitae meae. *verumtamen*, in hebr.: profecto; ita etiam in v. 7. et 12. *universa vanitas*=omnia vana et fragilia sunt praeter Deum.

V. 7. *in imagine*=sicut umbra. *sed et frustra conturbatur*= ideo in vanum sollicitus est de rebus hujus mundi. *ignorat, cui congregabit ea* cf. Eccli. 2, 21. 4, 8.

V. 8. *exspectatio mea*=spes mea. *substantia mea*=fundamen-

tum seu fulcrum meum=spes mea, uti elucet ex parallelismo membrorum.

V. 9. *opprobrium insipienti dedisti me*=objectum contumeliae et irrisionis; in hebr.: ne permittas, ut sim contumeliae improbis.

V. 10. et 11. Sens.: calamitates meas patienter sustineo, quia tu o Deus eas misisti; sed obsecro, ut eas a me transferas.

V. 12. *a fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus*= propter castigationes, quibus Deus potenter me afflixit, viribus animae et corporis fere destituor. Juxta t. hebr. haec sententia ita construi debet: a castigante manu tua ego consumor, increpationibus corripis hominem propter iniquitatem. *tabescere fecisti sicut araneam....*; juxta Vulg. comparatio ab aranea desumitur, quae telas suas texens propria viscera quasi consumit. Juxta t. hebr. autem pro *aranea* legitur *tinea;* ideo tertium comparationis est fragilitas et brevitas vitae. *conturbatur*=sollicitus est.

V. 13. *ne sileas*=ne permittas persecutiones adversariorum. *quoniam advena ego sum.....* sens.: quia tu o Deus me in hospitium tuum recepisti, ideo me tueri et defendere debes. Comparatio desumitur ex more Orientalium, qui hospitem in domum suam receptum omni modo defendunt.

V. 14. *remitte mihi* scil. peccata et poenam peccatorum. *prius quam abeam*=ante mortem meam.

Psalmus XXXIX.

Unitas psalmi. Posterior pars hujus ps. (v. 14-18) alio in loco qua ps. 69. iterum occurrit; ideo nonnulli putant psalmum 39. e duobus esse compositum. Sed valde probabile est, nostrum ps. ab origine unum esse et posteriorem partem serius ex ratione liturgica separatam fuisse. Ratio principalis pro hac sententia est, quia altera pars jam antiquissimo tempore in omnibus versionibus et codicibus cum prima conjuncta erat.

Subjectum psalmi. Nonnulli ss. Patres et pauci exegetae recentiores contendunt, hunc ps. esse directe Messianicum et Messiam a psalmista loquentem induci. Sed haec sententia argumento psalmi non videtur omnino convenire (cf. v. 13). Ideo potius dicendum est, subjectum directum et immediatum esse Davidem, sed in sensu typico et sublimiore argumentum psalmi ad Messiam esse referendum. Psalmum 39. saltem in sensu typico esse Messianicum probatur:

1) ex epist. ad Hebr. 10, 5-9., quia ibi verba a v. 7-9. allegantur et ad Christum venientem in hunc mundum referuntur; 2) ex sententia ss. Patrum, e. gr. s. Augustinus allegans v. 7. dicit: *sacrificium Christi successit omnibus illis sacrificiis V. T., quae immolabantur in umbra futuri: propter quod etiam vocem illam in ps. 39. ejusdem Mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus;* 3) ex materia substrata seu ex argumento psalmi, quod solummodo in sensu imperfecto ad Davidem referri potest, in Christo autem plenum et perfectum complementum habet.

Occasio historica. Psalmista commemorat pericula praeterita et simul Deum rogat, ut ipsum a futuris periculis et insectationibus adversariorum eripiat; insuper ex vv. 7 sqq. elucet eum longinquum fuisse a sanctuario: ideo pronum est concludere, Davidem hunc ps. composuisse in fuga vel a Saule persequente vel a filio rebelli Absalom. Posterior conjectura est probabilior, quia psalmista conqueritur de multitudine peccatorum suorum (v. 13).

Argumentum. In parte I. v. 2-11. psalmista in Deo confisus et ex gravi periculo liberatus ad novum canticum componendum se parat, in quo facta Dei mirabilia celebrat et optimum modum colendi Deum eique serviendi indicat; in p. II. v. 12-18. psalmista in novis periculis constitutus precibus suis Dei auxilium implorat.

Externa hujus ps. compositio artificiosa est. Pars I. numerum versiculorum denarium habet, qui est numerus perfectionis; pars II. numerum sacrum septenarium habet. Pars I. iterum in duas sectiones versuum quinquenorum dividitur, quarum prior ea describit, quae Deus in salutem et favorem psalmistae fecit, altera autem ea, quae psalmista in honorem Dei facturus est. Etiam haec circumstantia, quod nomen Jehovâ (Jahvê) in toto ps. decies in unaquaque parte quinquies occurrit, memoratu digna est.

V. 1. *psalmus ipsi David* = psalmus Davidis.

V. 2. *exspectans exspectavi* = firma fiducia in Domino speravi ejusque auxilium exspectavi. Replicatio ejusdem verbi in lingua hebr. emphasin indicat. *intendit mihi* = intendit ad me. Verba: *et exaudivit preces m.* ad v. 2. pertinent.

V. 3. *de luto faecis* = de miseria profundissima. *supra petram* = in locum firmum et tutum adversariis impervium. *gressus meos* = actiones meas.

V. 4*a*. Sens.: auctor principalis novi cantici est Deus, quia ipse psalmistam inspiravit. *carmen Deo nostro* = in honorem Dei n.

V. 4*b*. Sens.: propter auxilium divinum mihi praestitum ex una parte fiducia, ex altera parte timor Dei in multis angebitur.

V. 5. *cujus est nomen Domini spes ejus.* = cujus spes est nomen (auxilium) Domini. *vanitates* = idola. *insaniae falsae* = falsa oracula gentilium.

V. 6*a*. Sens.: omnia facta et consilia tua mirabilia sunt. *cogitationibus tuis* = relate ad cogitationes seu consilia tua.

V. 6*b*. Sens.: facta et consilia tua annuntiare et enumerare vellem, sed sunt innumerabilia (*plura sunt quam ut narrari queant;* S. Hieron.). *annuntiavi et locutus sum;* in hebr. est futurum, quod nonnunquam supplet conjunctivum, ideo = annuntiarem et eloquerer. Verb. *multiplicati sunt* se refert ad cogitationes; gen. mascul. est graecismus, nam in vers. Alex. legitur vox: *διαλογισμοί.*

V. 7. Sens. litteral.: non postulas, ut in conditione praesenti offeram sacrificia externa, sed cum sacrificio obedientiae contentus es. Sens. typic. autem refertur ad abrogationem sacrificiorum V. T. per sacrificium Christi, qui obediens factus est usque ad mortem crucis (Philip. 2, 8.) et oblatione sui ipsius in cruce omnes species sacrificiorum V. T. complevit. *sacrificium*, in hebr.: zebach = sacrificium cruentum eucharist- = *θυσία. oblationem*, in hebr.: minchâ = sacrificium incruentum. *holocaustum* = sacrificium latreuticum. *pro peccato* = sacrificium pro peccato. *aures perfecisti mihi* scil. ad audiendam et faciendam voluntatem divinam. Loco vocis *aures* Hebr. 10, 5. legitur *corpus* (per synecdochen — totum pro parte); haec lectio etiam in pluribus codicibus vers. 70 occurrit. Quaenam lectio sit genuina, difficile est decidere; certe lectio *corpus* aptior est pro explicatione Messianica.

V. 8. et 9. Sensus litteral. ad Davidem refertur, qui se paratum declarat ad legem divinam accurate adimplendam. Nonnulli putant, psalmistam alludere ad praecepta in Deut. 17, 14-20. futuris regibus inculcata. Juxta sensum typicum loquens inducitur ipse Chr. veniens in hunc mundum ad faciendam voluntatem Patris sui cf. Joan. 4, 34. 6, 38. *tunc* = ideo. *in capite libri* = in volumine libri = in Pentateucho. Vox *caput* h. l. est versio vocis graecae *κεφαλίς* quae proprie significat capitellum seu extremitatem superiorem cylindri, circa quem folia voluminis convoluta erant, deinde ipsum volumen indicat (per synecdochen). Alii illud: *in capite libri* explicant: in primo libro seu in tota summa libri. *scriptum est de me* = praenuntiatum est de me, vel: praescriptum est mihi. Prior

explicatio magis Messiae, posterior Davidi convenit. *volui* = volo seu paratus sum.

V. 10-11. Pro praeterito semper praesens ponendum est. *veritatem tuam et salutare tuum dixi* = fidelitatem tuam in promissis adimplendis et salutem a te consecutam semper annuntio. *a concilio multo* = a magna congregatione populi.

V. 12. *ne longe facias* = ne auferas a me. *susceperunt me* = suscipiant seu protegant me (in hebr. est futur.).

V. 13. Pro praeterito tempus praesens ponendum est. Sens. typicus refertur ad peccata totius mundi, quae Chr. in se suscepit expianda et ad mala, quae propter ea sustinere debuit. *non potui, ut viderem* = iniquitates meae tam numerosae sunt, ut eas omnes recensere non possim. *cor meum dereliquit me* = animum prorsus dimisi propter multitudinem peccatorum et malorum inde sequentium.

V. 14. *respice* = festina (hebr.) cf. ps. 69, 2.

V. 15. Sens.: spe sua frustrentur omnes, qui me interficere volunt et omnes adversarii mei recedant a me.

V. 16. *confusionem* = ignominiam. *euge* est interjectio, quae h. l. per ironiam ponitur et irrisionem indicat.

V. 17. *qui diligunt salutare t.* = qui auxilium tuum desiderant.

V. 18. *sollicitus est mei* = curam mei habet. *ne tardaveris* = ne cuncteris ad me adjuvandum.

Usus liturgicus. Ps. 39. recitatur: 1) feria 6. in Parasceve Domini, nam pars II. in sensu typico est quasi oratio Christi pendentis in cruce et vv. 7-9. ad Christum semetipsum offerentem usque ad mortem crucis referuntur; 2) in officio defunctorum, quia p. II. etiam ad animas in purgatorio detentas accommodari potest; 3) feria tertia ad matutinum; hac occasione sacerdos hunc ps. recitans pro adjutorio divino in tribulationibus et tentationibus obtento gratias agit, spiritum sacrificii, quem uti vicarius Christi cum ipso communem habere debet, protestatur et auxilium divinum contra adversarios salutis deprecatur.

Psalmus XL.

Occasio historica. Ps. 40. eo tempore, quo Absalom contra patrem suum David conjurationem concitavit, compositus esse creditur et quidem antequam aperta rebellio exorta est, occasione infirmitatis regis, quam ejus adversarii mortiferam esse putaverunt et desideraverunt cf. II. Reg. c. 15.

Argumentum. In I. str. v. 2-4. psalmista dolore corporali et spirituali oppressus illis, pui erga miseros et afflictos misericordes se exhibent, beatitudinem et speciale Dei auxilium promittit; in II. str. v. 5-10. psalmista talem miserationem non expertus amare conqueritur de insidiis ab inimicis imo ab amico suo familiari sibi paratis; in III. str. v. 11-13. liberationem a malis praesentibus petit eamque fiducialiter exspectat. V. 14. non pertinet ad hunc ps., sed est doxologia primum psalterii librum claudens.

Sensus Messianicus. Juxta testimonium s. Sscripturae N. T. Joan. 13, 18. Act. 1, 16. noster ps. in sensu typico ad Christum refertur. David gravi morbo percussus, persecutione adversariorum impetitus, a cognato et consiliario suo traditus (cf. II. Reg. 15, 12. 31. 34) typus Christi est, qui infirmitates nostras portavit (Mat. 8, 17) ab adversariis suis ad necem quaesitus et a commensali suo Apostolo Juda ad mortem traditus est. Sensum Messianicum hujus ps. etiam ss. Patres attestantur; e. gr. s. Augustinus de civitate Dei l. 17. c. 18. dicit: *Dominus ipse Jesus istum traditorem suum per panem porrectum ostendens Apostolis etiam versum 10. hujus ps. commemoravit et in se dixit impletum.*

Annotationes. v. 2. Sens.: beatus est ille, qui curam gerit de miseris eisque misericordiam exhibet, nam Deus tempore calamitatis eum liberabit.

V. 3. *conservet, vivificet....*; in hebr. est futurum. *in animam* = in arbitrium, in vindictam.

V. 4. *universum stratum ejus versasti* = lectum doloris commutas in lectum gaudii. Psalmista Deum directe alloquitur. Praeteritum h. l. significationem praesentis habet.

V. 5. Psalmista intelligit, causam suae miseriae esse peccatum, ideo petit sanationem animae i. e. restitutionem in gratiam divinam.

V. 6. Adversarii Davidi imprecabantur mortem, ut eo facilius votis suis potiri possent. *dixerunt mala mihi* = mala mihi imprecantur.

V. 7. *si ingrediebatur, ut videret* = si quis ex inimicis meis venit ad me visitandum. *vana loquebatur* = verba dolosa et mendacia profert. *congregavit iniquitatem sibi* = materiam pro sermonibus iniquis sibi colligit. *loquebatur in idipsum* = loquitur cum inimicis psalmistae de his, quae viderat et audierat.

V. 8. Sens.: adversarii mei consilia inter se ineunt ad me perdendum. Verba v. 7. et 8. in sensu typico ad Pharisaeos aliosque adversarios Christi qui eum ad necem quaesierunt, referri possunt.

V. 9*a*. Juxta Vulg. psalmista ipse loquitur; juxta textum hebr. adversarii ita loquuntur: *pernicies super eum effusa est. Verbum iniquum* h. l. = res iniqua perniciosa; nam correspondens vox hebr. *dabar* non tantum **verbum** sed etiam **rem** vel **factum** significat.

V. 9*b*. Sens. litteral.: actum est de eo, non amplius exurget de lecto suo, sed certe morietur. In sens. typico haec verba a s. Augustino ad mortem et resurrectionem Christi referuntur et in ore inimicorum Christi ponuntur. *numquid* in hebr. deest. *qui dormit* = qui recumbit. *non adjiciet, ut resurgat* = non amplius resurget.

V. 10. *homo pacis meae* = amicus meus familiaris. *qui edebat panes meos* = minister meus et socius mensae. *magnificavit super me supplantationem* = valde insidiose contra me egit. In hebr. ita habetur: *elevavit contra me calcaneum* scil. ad me perdendum. *supplantationem* = insidias. — Sub isto amico Davidis infideli probabiliter intelligitur Achitophel, cognatus et consiliarius regis, in rebellione autem Absalomica traditor et tandem consiliis suis frustratis suicida cf. II. Reg. 17, 23. In sensu typico autem verba v. 10. ad Judam proditorem referuntur.

V. 11. *resuscita me* = sana me de infirmitate. Juxta sensum typicum hoc verbum ad Christum refertur = resuscita me a morte (per resurrectionem). *retribuam eis*; haec verba non de studio vindictae propriae, sed de poena, qua rex theocraticus adversarios theocratiae punire debuit, intelligenda sunt.

V. 12. Sens.: si me salvaveris, tunc securum habebo signum amoris tui et indicium victoriae de adversariis meis. *voluisti me* = amas me.

V. 13. Sens.: ideo quia vitam probam et justam ago, protegis et conservas me atque firmum et inconcussum me facis coram te in aeternum. *suscepisti* = protegis me. In sensu typico v. 13. de Christi ascensione et sessione ad dexteram Patris intelligi potest.

Psalmus XLI et XLII.

Observatio praevia. Psalmi 41. et 42. ab initio **unum** psalmum constituerunt, serius autem ad usum liturgicum in duos divisi sunt. Psalmum 42. cum 41. esse conjungendum, probatur: 1) ex aequali compositione stropharum in utroque ps.; 2) ex eodem versu intercalari in ps. 41. bis (v. 6. et 12.) occurrente et in ps. 42, 5. repetito; 3) ex argumento, quod esset imperfectum, nisi etiam ps. 42.

accederet; 4) ex processu psychologico, qui in ps. 41. sese evolvit et in ps. 42. demum absolvitur; 5) ex similibus phrasibus in utroque psalmo obviis (cf. ps. 41, 10 cum 42, 2. 41, 5. cum 42, 4); 6) ex pluribus codicibus hebraicis, in quibus hi psalmi in unum conjuncti sunt; 7) ex defectu inscriptionis ad ps. 42. in reliquis codicibus hebraicis.

Auctor et occasio. Nonnulli contendunt, utrumque psalmum a Davide illo tempore, quo erat in fuga a filio suo Absalom compositum et deinde filiis Core ad usum liturgicum traditum esse. Alii dicunt, auctorem utriusque psalmi esse Levitam ex familia Corachitica, qui Davidem fugientem a filio rebelli comitatus affectus proprios et regis sui in hoc ps. enuntiaverit. Alii demum putant, psalmum derivari quidem ab uno ex filiis Core, sed tempus et occasionem historicam non posse indicari. Secunda sententia ceteris probabilior est et argumento psalmi omnino convenit. Inscriptio *psalmus David*, quae in vers. 70 et Vulg. ab initio psalmi 42. invenitur, in t. hebr. deest, et serius tantum ex conjectura adjecta esse videtur.

Argumentum. In I. str. v. 2-6. psalmista ardens desiderium redeundi ad sanctuarium et summam tristitiam ob relegationem a sanctuario Dei exprimit; in II. str. v. 7-12. amare conqueritur de innumeris tribulationibus at simul affectus fiduciae enuntiat; in III. str. ps. 42, 1-5. liberationem e tribulationibus et felicem reditum ad sanctuarium confidenter a Deo deprecatur et demum in firmam fiduciam erigitur.

Stropharum connexus et progressus psychologicus In nostro psalmo, qui est exemplar praestantissimum psalmorum elegicorum, lucta interna inter animae motus naturales et supernaturales modo vivido describitur. In I. str. tristitia naturalis praedominatur, in II. str. affectus tristitiae naturalis et fiduciae supernaturalis inter se quasi colluctantur, in III. str. spes supernaturalis victoriam reportat.

Thema psalmi. Thema seu cogitatio principalis, quae ex toto psalmo resonat, est desiderium praesentiae Dei et unionis cum Deo. Quum autem praesentiae Dei et unionis Dei cum hominibus triplex gradus cogitari possit, ideo in hoc ps. etiam triplex sensus distingui potest: 1) sens. litteralis: desiderium fruendi praesentia Dei in sanctuario V. T.; 2) sens. spiritualis proximus, seu allegoricus: desiderium fruendi praesentia et unione cum Deo in sanctuario N. T. per ss. Eucharistiae Sacramentum; 3) sens. spiritualis ultimus seu

anagogicus: desiderium fruendi praesentia et visione Dei beatifica in ecclesia coelesti.

Nota. Sens. spiritualis seu typicus a theologis antiquioribus dividitur in 1) allegoricum, qui ad ea refertur quae in ecclesia N. T. credenda sunt; 2) anagogicum, qui ad ea refertur, quae in ecclesia coelesti speranda sunt; 3) tropologicum seu moralem, qui ea docet, quae ab anima justa agenda sunt.

Annotationes ad singulos versus. Ps. 41. V. 1. *filiis Core* (dat. auct.); filii seu posteri Core (hebr. Corach) erant cantores in sanctuario et descendebant ab illo Levita, cujus seditio contra Moysen atque terribilis interitus Num. 16, 1 sqq. narratur. Quia filii ipsius in hac seditione nullam partem habuerunt, ideo cum reliquis Levitis in ministerio sanctuarii constituti sunt; tempore Davidico Corachitae erant partim cantores, partim janitores in sanctuario. *intellectus*, hebr. maskil = carmen didacticum.

V. 2. Psalmista eleganti imagine se ipsum comparat cum cervo sitibundo, qui infestatus a venatoribus anhelus ad fontem festinat.

V. 3. *fortem* = omnipotentem. *vivum* = auctorem vitae. *quando veniam* = quando potero venire. *apparebo;* **apparere ante faciem Dei** est phrasis propria et usitata ad indicandam peregrinationem ad sanctuarium praesertim in tribus festis principalibus anni.

V. 4. *fuerunt mihi lacrymae panes* = res quotidiana seu cibus quotidianus, quia psalmista prae dolore ab alio cibo saepe abstinuit. *ubi est Deus tuus?* = ubi est potentia et auxilium Dei tui? Deus vel non est potens ad salvandum vel omnino te dereliquit. Haec ironia et blasphemia contra verum Deum jactata ministro Dei acerbissimum paravit dolorem.

V. 5. Pronomen *haec* non ad praecedentia sed ad insequentia se refert. *effudi animam meam* = effundo coram Deo cor meum cf. ps. 61, 9. Thren. 2, 19. *transibo*, in hebr. fut. convers., quod aequivalet praeterito; ergo = transivi. *confessionis* = laudis. *sonus epulantis* scil. audiebatur. Alluditur ad epulas sacrificales, in quibus vox laetitiae et laudis audiebatur. In hebr. est: *in voce laetitiae et laudis multitudinis festum celebrantis.*

V. 6. In hoc vers. intercalari lucta in anima psalmistae describitur cf. I. Cor. 2, 14 sq. Rom. 7, 14-25. Mat. 26, 41. *quare conturbas me* = quare perturbata es? *confiteri* h. l. = solemnem divinae laudis celebrationem peragere in sanctuario. *salutare vultus mei* = qui est salvator meus.

V. 7. *ad me ipsum* hebr.: in me ipso. *propterea memor ero tui* i. e. propter istam conturbationem animae ad te o Deus precibus me converto. *terra Jordanis*=regio ad ripam Jordanis; h. l. intelligitur regio transjordanica. *Hermoniim* i. e. illa catena montium, quae ab Hermone magno ad mare mortuum usque protrahitur =Antilibanus. *a monte modico;* ubinam et qualis fuerit iste mons, praecise indicari non potest. Psalmista pulchra gradatione a generali ad speciale descendens (terra Jordanis — Hermoniim — mons modicus) locum commorationis suae describit.

V. 8. *abyssus*=profunditas aquarum, imago tribulationis et miseriae profundissimae. *excelsa*=gurgites altissimi cf. Jon. 2, 4. *in voce cataractarum*; flumen Jordanis propter multitudinem cataractarum famosum est. Psalmista cursum Jordanis describens simul etiam miseram suam conditionem describit.

V. 9. Sens.: Deus gratia sua ita me recreabit, ut tempore nocturno canticum in ipsius honorem componere possim. *mandavit* hebr. futur. *apud me oratio ad Deum vitae meae*=a me dirigitur oratio ad Deum, qui vitam meam conservare potest. Vox *apud me* juxta t. hebr. cum priori membro conjungitur.

V. 11. Sens. propter opprobria adversariorum vires animae meae quasi conteruntur i. e. summum animae dolorem sentio. *ossa*= sedes virium animae et corporis.

Ps. 42. V. 1. *judica me*=judicando innocentem me declara, jus meum mihi procura. *discernere causam de*=agere causam contra. *gens non sancta*=impii adversarii vel populus rebellis. *homo iniquus et dolosus*, juxta nonnullos in significatione collectiva=gens non sancta; juxta alios vir singularis intelligitur, puta Achitophel cf. II. Reg. 15, 12. 31. 17, 14. 23.

V. 3. *lucem tuam*=gratiam illustrationis. *veritatem*=fidelitatem in promissionibus adimplendis. *deduxerunt et adduxerunt,* in hebr. est futur. Psalmista in v. 3. et 4. pulchra gradatione petit 1) deductionem ex loco exilii 2) adductionem ad montem Sion 3) ad tabernaculum 4) ad altare 5) ad Deum.

V. 4. *et introibo*=ut introire possim. *qui laetificat juventutem meam*=qui jam erat laetitia mea inde a juventute mea; vel=qui est auctor omnis laetitiae meae inde a tempore juventutis *confitebor tibi in cithara*=hymnum laudis cantabo ad sonum citharae.

Usus liturg. Ps. 41. recitatur 1) in matutino feriae tertiae (desiderium patriae coelestis) 2) in festo corporis Christi (desiderium

unionis cum Christo in ss. Eucharistiae Sacramento) 3) in festo 7 dolorum B. Mariae V. (summa tristitia et derelictio Matris dolorosae) 4) in officio defunctorum (tristitia animarum ob relegationem a visione Dei beatifica et desiderium perveniendi ad praesentiam Dei) 5) in baptismo adultorum et in benedictione fontis baptismalis (desiderium catechumenorum hauriendi gratiam Dei ex fonte baptismatis).

Ps. 42. recitatur 1) in laudibus feriae tertiae et ab initio missae (praeparatio sacerdotis ad introitum ad altare et ad missae sacrificium rite celebrandum) 2) in festo corporis Christi (praeparatio ad corpus Christi digne recipiendum) 3) in officio Orationis in monte Oliveti (Christi introitus ad altare crucis) 4) in introitu missae tempore Passionis (David fugitivus typus Christi patientis).

Psalmus XLIII.

Tempus et occasio historica. Valde difficile est determinare tempus et occasionem historicam, cui argumentum hujus ps. omni ex parte conveniat. Ideo plures de hac re sententiae et hypotheses circumferuntur. Nonnulli putant, psalmum jam tempore Davidico esse compositum et quidem occasione expeditionis bellicae, quam Edomitae, Syri et Ammonitae contra regem et populum theocraticum instruxerant cf. II. Reg. c. 8. I. Paral. c. 18. ps. 59, 2. Alii contendunt, huic psalmo componendo ansam dedisse incursionem Arabum et Philisthaeorum tempore regis Joram (889-884) cf. II. Paral. 21, 16 sq. Joel 3, 2-8. Alii psalmum tempori exilico vel tempori immediate post exilium attribuunt. Tandem sunt, qui putant, argumentum psalmi optime convenire tempori Machabaeorum, quo Antiochus Epiphanes rex Syrorum populum theocraticum omni modo persecutus est et fidem in verum Deum radicitus exstirpare studuit cf. I. Mach. c. 1. et 2. Hanc sententiam tenent rationalistae et pauci exegetae catholici e. gr. cl. Fr. Patrizi in opere: *Cento salmi tradotti dal testo ebraico e commentati,* Romae 1875. p. 152. Attamen quia omnes reliqui psalmi ex secundo libro Psalterii antiquioris originis sunt et quia generatim ex sententia communi interpretum catholicorum in nostro Psalterio non inveniuntur psalmi ex tempore Machabaeorum, haec sententia non videtur esse probabilis. Ideo potius confitendum est, tempus, quo hic ps. compositus sit, praecise

indicari non posse; sed hoc certum est, populum Israelit. tunc temporis in magnis tribulationibus et periculis versatum esse.

Argumentum. In parte I. v. 1-9. psalmista facta mirabilia et beneficia Dei populo Israelitico tempore antiquo collata in memoriam revocat atque fiduciam suam in auxilio divino protestatur et a solo Deo salutem et victoriam de hostibus expectat (**respectus ad tempus antiquum**); in II. p. v. 10-22. psalmista conditionem miseram, in qua populus theocraticus illo tempore versabatur, describit et amaras emittit querelas de tribulationibus, quibus totus populus non obstante sua fidelitate theocratica opprimitur et affligitur (**conspectus temporis praesentis**); in III. p. v. 23-26. psalmista enixis precibus Deum rogat, ut tamdem aliquando auxilium ferat et populum suum ab omnibus angustiis et periculis liberet (**suspectus ad Deum**).

Annotationes. V. 1. *ad intellectum* = carmen instructivum.

V. 2. *opus* = factum praeclarum, vel collective: facta mirabilia. *et* h. l. est epexegeticum = scilicet.

V. 3. *disperdidit*, hebr.: expulit ex possessione. *gentes* = populos Chananaeos. *plantasti eos* scil.: patres nostros. *afflixisti populos et expulisti eos;* in hebr.: afflixisti nationes, illos (patres nostros) autem propagasti.

V. 4. Sens.: patres nostri non virtute armorum neque arte bellica terram Chanaan occupaverunt, sed potentia, auxilio et gratia Dei.

V. 5. Deus est rex proprius populi theocratici, ideo ipsius est protegere et salvare populum suum. *qui mandas salutes Jacob,* hebr.: demanda salutem Jacobo i. e. populo Israelitico.

V. 6. *in te* = per te seu auxilio tuo. *ventilabimus cornu* = cornibus petemus et in terram prosternemus i. e. superabimus; imago desumpta est a tauris, qui cornibus suis omnes propulsant, qui sese eis opponunt. *spernemus,* hebr. conculcamus. *in nobis* = contra nos. futurum in h. vers. est potentiale.

V. 7. et 8. Sens.: fiduciam nostram non in armis materialibus sed in auxilio divino ponimus; nam Deus hucusque nos semper liberavit e manibus adversariorum.

V. 9. *laudabimur* = gloriamur. *in nomine tuo confitebimur* = nomen tuum celebrabimus.

V. 10. *non egredieris cum virtutibus nostris* = nunc non amplius egrederis cum exercitibus nostris scil. qua dux et adjutor noster cf. ps. 59, 12. 88, 39.

V. 11. *avertisti nos retrorsum ab inimicis*=permisisti, ut nos hostibus cedere deberemus. *diripiebant sibi*=nos exspoliaverunt seu depraedati sunt.

V. 12. Sens.: permisisti, ut tractaremur sicut oves destinatae ad lanienam et ut in exilium mitteremur inter diversas gentes.

V. 13. Sens.: permisisti, ut populares nostri parvo vel nullo pretio inter gentes venderentur et viles haberentur ab emptoribus. *multitudo* h. l.=magnum pretium. *commutatio*=venditio, nam commercium tempore antiquo ut plurimum erat commutatorium.

V. 14. *opprobrium*=objectum opprobrii cf. 78, 4. 79, 7.

V. 15. *in similitudinem*=in exemplum seu proverbium i. e. si quis hominem aliquem vilem et abjectum esse indicare vult, tunc nominat eum Judaeum. *commotionem capitis*=objectum, propter quod caput movent; movere caput super aliquem=eum deridere et contemnere.

V. 16. et 17. Sens.: Quotidie confusione et verecundia afficimur propter opprobria, contumelias et persecutiones adversariorum. *a voce*=propter verba. *a facie*=ob adspectum seu ob praesentiam.

V. 18. Sens.: haec mala nobis obvenerunt non obstante nostra fidelitate et pietate erga Deum. *in testamento tuo*=contra foedus tecum initum.

V. 19. *non recessit retro*=non defecit a Deo. *declinasti semitas nostras a via tua*=nos et actiones nostras rejecisti et reprobasti; in hebr. habetur: neque declinaverunt gressus nostri a via tua. *declinare* h. l.=reprobare. *semitas nostras*=actiones nostras. *a via tua*=a beneplacito tuo seu a gratia tua. Juxta alios in v. 19*b*. post *et* inserenda esset negatio=*et non*. Tunc sens. esset idem ac in t. hebr.

V. 20. *humiliasti nos in loco afflictionis*=rejecisti nos in locum afflictionis ibique humiliasti (constr. pregnans). *locus afflictionis*= locus captivitatis seu exilii. *umbra mortis*=periculum mortis.

V. 21. *si obliti sumus, si expandimus*=si obliti essemus, si expandissemus.

V. 22. *requiret*=requireret i. e. exploraret et castigaret. *propter te mortificamur tota die*=propter fidelitatem nostram erga te quotidie in periculo mortis versamur. *oves occisionis*=oves destinatae ad macellum. Apostol. Paulus Rom. 8, 36. haec verba allegat ad indicandas persecutiones et pericula, quae Apostoli et primi Christiani sustinere debuerunt. Ideo etiam in liturgia ecclesiastica totus

ps. ad pugnam et persecutiones, quas ecclesia cath. continuo subire debet, refertur.

V. 23. *ne repellas in finem*=ne rejicias nos in perpetuum.

V. 24. *quare faciem tuam avertis*=cur gratiam et auxilium tuum nobis subtrahis? *oblivisceris inopiae nostrae*=cur derelinquis nos in nostra inopia et miseria?

V. 25. *humiliata est in pulvere*=ad extremam humilitatem redacta est. *conglutinatus est in terra venter noster*=corpus nostrum vilissimae servituti adstrictum est.

V. 26. *propter nomen tuum*=propter honorem tuum; nam opprobrium populi theocratici certo modo in opprobrium ipsius Dei redundavit.

Psalmus XLIV.

Auctor et tempus compositionis. Ex inscriptione in v. 1. elucet, auctorem hujus psalmi esse unum ex filiis Core i. e. cantorem sacrum ex familia Corachitarum; tempus autem vel occasio historica nullibi indicatur. Ex argumento psalmi et ex ejus similitudine cum Cantico Canticorum nonnulli concludunt, psalmum tempore Salomonis et praecise occasione nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis (cf. III. Reg. 3, 1) compositum esse. Sed haec sententia non habet firmum fundamentum, nam in explicatione historica vel historico-typica nititur, quarum prior, uti videbimus, **nullo modo**, posterior autem **vix** sustineri potest. Etsi concedatur, psalmistam nonnullas imagines ex aevo et historia Salomonis desumpsisse, ex hoc tamen inferri nequit, psalmum tempore Salomonico scriptum esse. Etiam aliae conjecturae ex historia aliorum regum desumptae non sunt attendendae et potius confitendum est, tempus, quo hic ps. compositus sit, cum certitudine non posse indicari.

Sensus Messianicus. Ps. 44. communiter consideratur uti compendium seu epitome Cantici Canticorum. Ideo sicut de Cantico ita etiam de nostro psalmo tres dantur diversae explicationes: 1) explicatio pure historica, juxta quam psalmus nihil aliud esset, quam epithalamium seu carmen nuptiale; 2) explicatio typica seu historico-typica, quae tum sensum historico-litteralem tum typico-praefigurativum admittit; 3) explicatio pure symbolica seu allegorica, quae nullum sensum historicum, sed tantum symbolicum admittit. Prima sententia est pure rationalistica et omnino rejicienda. Secundam

sententiam, quae argumentum psalmi in sensu historico-litterali ad nuptias Salomonis, in sensu typico ad connubium Christi cum ecclesia refert, nonnulli quidem theologi catholici tenent, uti Bossuetus, Calmetus, Patrizi etc., sed nunc temporis fere ab omnibus derelicta est. Tertia explicatio, quae totum psalmum directe ad Christum refert, communis est inter ss. Patres et theologos catholicos. Ideo etiam nos hanc sententiam sequimur et defendimus. Praeprimis autem contra rationalistas demonstrari debet, hunc psalmum non esse carmen profanum seu merum epithalamium in nuptiis alicujus regis, sed canticum religiosum et sacrum, quod ostendi potest: 1) ex inscriptione, nam ps. 44. in titulo nominatur maskil = carmen religioso-didacticum, insuper attribuitur uni ex posteris Core, qui erant cantores et ministri in sanctuario, ideo non profana sed tantum sacra cantica composuerunt; 2) ex receptione psalmi in canonem, nam in canonem librorum ss. solummodo carmina religiosa recepta sunt; 3) argumentum probabilitatis etiam desumi potest ex more s. Scripturae describendi unionem inter Deum resp. Christum et ecclesiam imagine connubii cf. Os. cap. 1-3. Is. 54, 5-8. Mat. 9, 14. 15. Eph. 5, 25-27. Apoc. 19, 7-9. 21, 9 sqq. Attamen hic ps. non tantum generatim canticum s. est, sed speciatim canticum directe Messianicum, quod probatur: 1) ex s. Scriptura N. T., nam in epist. ad Hebr. 1, 8. 9. ex vv. 7. et 8. nostri psalmi ostenditur, Christum habere naturam divinam; 2) ex traditione continua Judaeorum; e. gr. in Paraphrasi chaldaica ad v. 3. suppletur vox *Messias* (pulchritudo tua o Messias), et phrasis *filiae regum* in v. 10. explicatur = populi alieni a Messia subjiciendi; etiam Rabbini celebriores nostrum ps. ad Messiam referunt; 3) ex sententia unanimi ss. Patrum; sic e. gr. s. Jrenaeus (contr. haeres. l. 3. c. 6) et s. Cyprianus (testimon. l. 3. c. 6) ex versu 7. et 8. divinam Christi naturam demonstrant; s. Hieronymus in epist. ad Principiam totum ps. ad Christum et ecclesiam refert; Theodoretus in Comment. primam partem psalmi de Christo, secundam de ecclesia ex Judaeis et gentibus congreganda explicat; 4) ex materia substrata seu ex argumento psalmi; nam plura in eo continentur, quae ad regem aliquem terrestrem referri nequeunt, utpote rex in nostro ps. celebratus nominatur **Deus** ejusque regnum dicitur **aeternum**, quod tantum de rege Messia valet.

Argumentum. In ps. 44. sub allegoria pompae nuptialis celebratur connubium mysticum inter Christum ejusque ecclesiam. In

inscriptione (v. 1.) auctor, genus et finis cantici indicantur; in prooemio (v. 2.) thema psalmi proponitur; in I. parte v. 3-9. celebrantur laudes Messiae sponsi in specie ipsius pulchritudo, eloquentia, victoria de adversariis, veritas et justitia, dignitas divina, regnum aeternum et magnificentia describuntur; in II. p. v. 10-18. celebrantur laudes ecclesiae sponsae, in specie ecclesia diversis imaginibus describitur ut regina electa et sponsa praedilecta, omni genere virtutum exornata, a subditis honorata, eximio sociarum comitatu circumdata et demum qua mater principum et populorum per omnes generationes. In expositione speciali inter exegetas catholicos eatenus parva invenitur discrepantia, quatenus nonnulli sub **regina** ecclesiam ex Israele et sub **virginibus** ecclesias ex gentibus congregandas, alii autem sub regina ecclesiam universalem sub virginibus ecclesias particulares intelligunt. Caeterum nomine **virginum** etiam singulae animae christianae, inter quas B. V. Maria **regina** est, intelligi possunt.

Annotationes. V. 1. *pro iis qui commutabuntur*=qui convertuntur ad Messiam; in t. hebr.: *super (seu secundum) lilia*=juxta melodiam cantici, quod habet titulum: *lilia;* alii intelligunt instrumentum liliiforme. *canticum pro dilecto*=canticum de Messia dilecto sponso ecclesiae; in hebr. habetur: canticum de rebus amabilibus. Caeterum difficile est, verum sensum hujus inscriptionis determinare.

V. 2. *eructavit*=emisit, protulit. *verbum bonum*=carmen sequens. *opera mea*=poemata mea. *dico*=recito, vel juxta alios=addico, devoveo. *lingua mea calamus.....*=lingua mea tota occupata est in laude regis celebranda.

V. 3. Psalmista alloquitur Messiam. *prae filiis hominum*=magis quam reliqui homines. *gratia in labiis*=amoenitas et facundia sermonis cf. Luc. 4, 22. *propterea benedixit te Deus.....*=quia super Messiam pulchritudo et gratia divina effusa est (propter unionem hypostaticam), ideo etiam qua homo eximiis praerogativis exornatur pro tota aeternitate.

V. 4. et 5*a*. Verba: *specie tua et pulchritudine tua* cum v. 4. conjungi debent. S. Hieronym. text. hebr. ita vertit: *accingere gladio tuo super femur tuum, fortissime, gloria tua et decore tuo*=para te ad bellum gloria et majestate tua i. e. gladius tuus, arma tua sunt gloria et majestas tua.

V. 5. Sens.: feliciter progredere, constitue regnum tuum ad

defendendam et propagandam veritatem, mansuetudinem et justitiam; potentia tua mirabili modo perducet te ad finem intentum cf. ps. 71, 12 sq. Is. 11, 4.

V. 6. Sens.: sagittae tuae acutae (i. e. verba efficacissima) in corda adversariorum penetrabunt, ita ut integri populi tibi se subiecturi sint. Sermo est h. l. de victoria Messiae spirituali, quam gladio potentiae et sagittis verborum suorum reportat cf. 2, 9. 109, 6.

V. 7. Sens.: thronus tuus, o Deus, aeternus et regnum tuum justum est. Vox *Deus* h. l. in vocativo posita est, uti ex versionibus antiquis elucet, et refertur ad regem Messiam cf. Hebr. 1, 8. Luc. 1, 32. *virga directionis*=sceptrum rectitudinis et justitiae.

V. 8. Etiam in h. v. vox *Deus* primo loco posita est vocativus et ad Messiam refertur, quod ex contextu (v. 4. et 7), ex versionibus antiquis et ex Hebr. 1, 9. probatur. *oleum laetitiae* indicat exaltationem et glorificationem Christi hominis. *prae consortibus tuis*=plus quam reliquos homines generatim, vel speciatim plus quam discipulos Christi, qui per ipsum consortes fiunt naturae divinae (II. Pet. 1, 4).

V. 9*a*. Sens. propr.: e vestimentis tuis et e palatiis tuis odores gratissimi emanant. Sens. metaph. refertur ad bonum odorem virtutum in Christo cf. Cant. 1, 3. II. Cor. 2, 14. 15. *gutta*=stacte seu aloë. *cassia*=frutex aromaticus, similis myrrhae, juxta alios=laurus cinnamomum. *e domibus eburneis;* tabulatio in palatiis orientalibus non raro ex ebore erat.

V. 9*b*. et 10*a*. Sens.: gentes conversae ornatae gratiis a te obtentis tibi sunt objectum delectationis.

V. 10*b*. *regina*=ecclesia. Vestitus deauratus et variegatus varia dona et gratias indicat, quibus ecclesia exornata est.

V. 11. Psalmista imagine desumpta a sponsa, quae domum paternam relinquere debet, populum Israeliticum et reliquos populos admonet, ut moribus paternis derelictis Christum sequantur eique toto corde adhaereant cf. Mat. 10, 37. Haec etiam ad singulas animas accommodari possunt.

V. 12. Sens. v. 12*a*: tunc Messias sponsus gratiis et virtutibus ecclesiae sponsae suae delectabitur. Applicatio ad singulas animas facilis est. *ipse*=Messias. Vox *Deus* tantum in Vulg. occurrit. *adorabunt eum*=homines eum adorare eique obsequium praestare debent; in t. hebr. est: *adorabis eum.*

V. 13. Sens.: etiam gentes superbae theocratiae numquam

subditae imo principes quoque populi ad ecclesiam se convertent eique se subjicient. *filiae Tyri*=incolae Tyri repraesentantes reliquas gentes. *in*=cum; nam correspondens praepositio hebraica *b*ᵉ saepe etiam *cum* significat. *deprecabuntur vultum tuum*=gratiam et favorem tuum quaerent.

V. 14. et 15*a*. Haec verba de excellentia ecclesiae interna et de ejus splendore externo intelligi possunt. *omnis gloria ejus filiae regis ab intus*=filia regis (i. e. regina seu ecclesia) tota gloriosa et magnifica est ab intrinsecus. *ejus* h. l. fere significationem articuli habet; in vers. 70 est τῆς, alias αὐτῆς. *in fimbriis aureis circumdata varietate*=in vestitu deaurato variegato, sicut in v. 10.

V. 15*b*. Sens.: ad regem Messiam praeprimis adducitur regina i. e. Israel fidelis vel juxta alios ecclesia cathol. universalis; post eam etiam virgines i. e. reliquae gentes vel juxta alios ecclesiae particulares (filiales) adducuntur. *proximae ejus*=sociae reginae. *tibi*=Messiae.

V. 16. *in templum regis*=in ecclesiam Christi.

V. 17. Sens.: pro **patribus** i. e. pro Judaeis ex connubio spirituali Christi cum ecclesia **filii** nascuntur scil. fideles ad Christum conversi ex omnibus gentibus presertim praepositi ecclesiae, qui sunt principes spirituales super omnem terram constituti cf. Apoc. 5, 10.

V. 18. Sens.: principes ecclesiae et eorum exemplo excitati etiam omnes populi nomen et laudem Messiae celebrabunt per omnes generationes. *memores erunt*, scil. principes in v. 17. commemorati.

Usus liturgicus. Ps. 44. in liturgia ecclesiastica occurrit: 1) in festis sponsi i. e. D. N. I. Christi, et quidem *a)* in f. nativitatis et in octava nativit. i. e. in circumcisione Domini (in nativitate Christi jam incepit ejus desponsatio cum ecclesia seu cum animabus fidelium) *b)* in vigilia epiphaniae Domini (prima adductio fidelium ex gentibus ad Christum sponsum) *c)* in f. transfigurationis Domini (Chr. Deus-homo se ostendit in tota pulchritudine sua cf. v. 3. *speciosus prae filiis hominum*) *d)* in f. nominis Jesu (cf. v. 18. *memores erunt nominis tui in omni generatione....* *e)* in f. ss. cordis Jesu (in transfixione cordis Jesu, in qua ultimam guttam sanguinis cordis sui effudit, desponsatio Christi cum ecclesia consummata est); 2) in festis sponsae i. e. B. V. Mariae (M. *filia regis* i. e. Dei Patris — mater Christi et omnium fidelium — sponsa Spiritus S.); 3) in festis sponsarum secundariarum seu sociarum sponsae i. e. virginum (cf. v. 15. et 16.); 4) in festis filiorum seu discipu-

lorum sponsi scil. Apostolorum (v. 17. *pro patribus nati sunt tibi filii, constitues eos principes.....* cf. Mat. 9, 14. 15. Joan. 3, 29); 5) in consecratione altaris (ex altari, quod Christum repraesentat et ubi Chr. praesens est, quotidie fit desponsatio Christi cum tota communitate et cum singulis animabus fidelium).

Psalmus XLV.

Occasio historica. Indicium externum relate ad tempus, quo hic ps. compositus sit, non habetur; sed ex rationibus internis seu ex materia substrata concludi potest, ansam huic psalmo componendo dedisse factum aliquod mirabile, quo urbs sancta ab incursione adversariorum salvata est. Ideo multi putant, nostrum psalmum in gratiarum actionem propter stragem terribilem exercitui Sennacheribi regis Assyriorum a Deo inflictam conscriptum esse cf. Is. cap. 36. et 37. IV. Reg. 18, 13-19, 37.

Divisio et argumentum. Ps. 45. in tres strophas, quarum quaelibet quattuor versus habet, dividitur; post unamquamque stropham idem versus intercalaris (et in text. hebr. vox *selâ*) recurrit. Post I. str. quidem vers. intercalaris in hodierno textu deest, sed sine dubio ab initio aderat et tantum incuria librariorum ex textu excidit. In I. str. v. 2-4. psalmista nomine populi theocratici firmam fiduciam in auxilio divino enuntiat, etiamsi gravissima quaeque pericula immineant; in II. str. v. 5-8. declarat, Hierosolymam, civitatem Dei, speciali gratia divina incolumem esse conservatam contra omnes impugnationes gentium; in III. str. v. 9-12. psalmista omnes invitat, ut contemplentur et admirentur opera Dei mirabilia ad protectionem urbis s. patrata.

Sensus typicus et usus liturgicus. Juxta sensum spiritualem in ps. 45. ecclesiae christianae victoria mirabilis contra omnes adversariorum persecutiones et impugnationes describitur et praedicitur. In hoc sensu spirituali psalmus noster usurpatur in liturgia ecclesiastica; insuper etiam ad civitatem Dei mysticam i. e. ad B. V. Mariam refertur (cf. v. 5. *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*).

Annotationes. V. 1. *pro arcanis*, gr. *ὑπὲρ τῶν κρυφίων* = de rebus occultis et mysteriosis; in t. hebr.: *voce virginali* i. e. alta et acuta (ps. cantandus est).

V. 2. *quae invenerunt nos nimis* = quae venerunt super nos magna vehementia et multitudine.

V. 3. et 4. Sens.: non timemus, etiamsi commoveatur terra et montes praecipitentur in medium maris, etiamsi aquae maris fremant et intumescant, etiamsi ob ejus impetum montes contremiscant. Omnes istae imagines inserviunt ad indicanda maxima pericula. *sonuerunt, conturbatae sunt......* = etsi sonuerint, conturbentur.... *eorum* = ejus scil. maris; est graecism., nam in vers. 70 habetur *αὐτῶν (θαλασσῶν).*

V. 5. H. l. inserendus est vers. intercalaris. *fluminis impetus,* in t. hebr. fluminis rivi, in gr. *ὁρμήματα* (commotiones) = copia aquarum; forsitam alluditur ad fontem Gihon cf. II. Paral. 32, 30. In sensu spirituali abundantia gratiarum indicatur cf. Is. 12, 3. Paraphr. chald. v. 5*a.* ita reddit: *populi tanquam flumina et rivi eorum venient et laetificabunt civitatem Dei.* Juxta hanc expositionem *impetus fluminis* esset accessio gentium ad theocratiam resp. ad novam ecclesiam cf. Mich. 4, 1. Is. 2, 2. *sanctificare* = sanctum conservare, praeservare a profanatione. *tabernaculum suum;* Hierosolyma tabernaculum Dei dicitur, quia ibi erat templum, in quo Deus speciali modo praesens erat super arcam foederis.

V. 6. Sens.: ob specialem Dei praesentiam et protectionem urbs s. semper firma et inconcussa stabit. *mane diluculo* = mox, statim. Nonnulli putant, alludi ad stragem terribilem, qua exercitus Sennacheribi summo mane percussus est cf. Is. 37, 36.

V. 7. Sens.: Deus omnipotenti voluntate sua effecit, ut conatus gentium contra regnum theocraticum disturbati sint. *inclinata sunt* = vacillaverunt et ceciderunt.

V. 8. In hoc v. intercal. **thema** psalmi indicatur: Deus, exercituum dominus nobiscum est, ipse adjutor noster est, ideo nihil timendum. *virtutum* = exercituum.

V. 9. *posuit* = patravit. *prodigia* = miracula stupenda.

V. 10. Sens.: Deus omnia pericula belli pro populo theocratico omnino removet. Juxta sensum typicum indicatur, omnia conamina adversariorum contra ecclesiam Dei fore inania et irrita. Nonnulli putant, h. l. praedici pacem universalem in regno Messian., sicut Is. 2, 4. 11, 6. 9.

V. 11. Deus loquens inducitur. Sens.: cessate et desistite o gentes ab impiis vestris machinationibus contra populum meum, quia ego solus sum verus Deus, ab omnibus gentibus et in toto orbe glorificandus. *vacate* = desistite a bello et seditione contra Deum.

Psalmus XLVI.

Occasio historica. Ps. 46. a multis compositus esse creditur occasione solemnis translationis arcae foederis ex domo Obededomi in montem Sion (II. Reg. 6, 11-15), vel ex tabernaculo Sionitico in templum Salomonicum (III. Reg. 8, 1). Alii autem putant, victoriam regis Josaphat de Ammonitis, Moabitis et Edomitis (Seiritis) ansam dedisse ad hunc ps. componendum (cf. II. Paral. cap. 20).

Argumentum. In I. str. v. 2-5. psalmista omnes gentes invitat ad Deum laudandum propter ipsius majestatum et imperium universale, deinde Deum celebrat, quia populum Israeliticum elegit in populum suum eique alias gentes subjecit; in II. str. v. 6-10. describitur pompa solemnis in translatione arcae Domini et iterum omnes invitantur ad Deum praedicandum et celebrandum; demum praedicitur conversio populorum et principum ad verum Deum. In t. hebr. post I. str. est vox *selâ*=pausa (?)

Sensus Messian. et usus liturg. Ps. 46. non obstante ejus brevitate plenus est sensibus; in sensu typico certe ad regnum Messianicum et ad propagationem universalem ecclesiae referri debet. SS. Patres, uti Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus etc. totum psalmum de victoria et ascensione Christi exponunt. Theodoretus in Comment. dicit: *hic ps. omnium gentium salutem praedicit atque contra hostes victoriam vaticinatur.* Propter hunc sensum typicum praesertim psalmus noster in liturgia ecclesiastica usurpatur et quidem *a)* in festo ascensionis Domini (cf. v. 6) *b)* in f. epiphaniae D. (conversio gentium et principum ad Christum cf. v. 4. 9. 10) *c)* in f. ss. Trinitatis (laudatur Deus triunus propter totum opus redemptionis) *d)* in festis Apostolorum (cf. v. 4. et v. 10. *principes populorum, fortes terrae, qui vehementer elevati sunt*).

Annotationes. V. 1. *pro filiis Core*=ab uno ex familia Corachitarum; in hebr. est dativus auctoris.

V. 2. *plaudere manibus* laetitiam et assensum indicat.

V. 3. *terribilis* (in sensu bono)=reverendus, magnificus.

V. 4. *subjecit populos nobis;* proxime intelliguntur Chananaei aliique populi, quos Iscraelitae Deo adjuvante subjecerunt. Sed in sensu typico haec verba de subiectione spirituali scil. de conversione gentium per *reliquias Israelis* i. e. per Apostolos exponi possunt.

V. 5. *elegit nobis hereditatem suam*=elegit nos uti hereditatem suam propriam i. e. uti populum **suum** in sensu speciali. In t. hebr. habetur: *elegit nobis hereditatem nostram*=destinavit nobis propriam terram hereditariam. *speciem Jacob;* terra s., quam Deus populo Israelitico assignavit, erat gloria hujus populi. *Jacob* (genitiv.)= populi Israelit. cf. Dan. 11, 16. 41. *quem dilexit* cf. Mal. 1, 2.

V. 6. *ascendit Deus in jubilo*=arca Domini cum magno gaudio transfertur in montem Sion (vel in templum Salomonicum) cf. II. Reg. 6, 12. *jubilum*=magna laetitia; hac significatione vocabulum tantum in latinitate biblica et ecclesiastica occurrit. *in voce tubae* =cum clangore tubarum cf. II. Reg. 6, 15.

V. 7. *psallite Deo*=celebrate Deum psalmos canentes.

V. 8. *sapienter*=intelligenter, non labiis tantum sed etiam corde et animo. In t. hebr. est: cantate carmen instructivum.

V. 9. *sedet super sedem sanctum s.*=regnat in throno sancto suo.

V. 10. *principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* =Deum Abrahami i. e. **verum** Deum colunt. *congregati sunt*=congregantur. In t. hebr. est: se adjungunt populo Dei Abrahami=etiam gentiles fiunt populus theocraticus; quod tantum tempore christiano adimpletum est. *dii*=Dei, in vers. Alex.: *τοῦ θεοῦ.* Ideo v. 10*b*. ita construi debet: quoniam Dei (genitiv.) sunt fortes terrae, valde elevati sunt=principes terrae propter suam conversionem ad verum Deum valde elevantur et exaltantur. Si autem vox *dii* in Vulg. uti nominativ. plural. sumitur, tunc idem significat ac: potentes seu principes. Sensus fere idem manet.

Psalmus XLVII.

Occasio historica. Tempus, quo hic ps. compositus sit, cum certitudine indicari nequit; nonnulli ex materia substrata conjiciunt, psalmum nostrum conscriptum esse in gratiarum actionem pro illa mirabili victoria regis Josaphat (914-889) de Ammonitis, Moabitis aliisque gentibus, qua urbs s. ab interitu servata est cf. II. Paral. cap. 20. Haec sententia non est improbabilis.

Argumentum. In I. str. v. 2-4. celebratur gloria et potestas veri Dei, quam in protectione urbis s. generatim ostendit; in II. str. v. 5-9. describitur confusio et terribilis strages principum contra

urbem s. et populum electum congregatim pugnantium; in III. str. v. 10-12. psalmista Deo gratias agit pro mirabili auxilio, quo urbem s. et populum a maximo periculo liberavit; in IV. str. v. 13-15. psalmista populares suos adhortatur, ut hujus facti admirabilis exactam narrationem futuris generationibus transmittant.

Sensus typicus. Ps. 47. est indirecte Messianicus. Nam urbs Jerusalem et mons Sion a prophetis passim in sensu typico usurpantur ad significandam ecclesiam a Messia instituendam. Et re quidem vera ea quae h. l. de fundatione et firmitate urbis s. enuntiantur in sola ecclesia Christi plene et perfecte verificantur, quia fundata est super firmam petram, adversus quam portae inferi non praevalebunt. Etiam ea quae de conatibus vanis adversariorum contra urbem s. enarrantur, multo magis de insidiis frustratis inimicorum ecclesiae christ. valent. Ergo in hoc ps. Spiritu s. ita dirigente psalmista talia elocutus est, quae juremerito ad firmitatem et indefectibilitatem ecclesiae novae referri possunt.

Annotationes. V. 1. *psalmus cantici; psalmus* est species, *canticum* genus. *secunda sabbati*=ps. secunda die hebdomadis cantandus est.

V. 2. Sens.: Deus magnitudinem et gloriam suam praesertim protectione et conservatione civitatis s. et regni theocratici ostendit.

V. 3. *fundatur exultatione universae terrae mons Sion*=mons Sion firmus stat et inconcussus ad laetitiam universae terrae. In sensu typico-metaphorico (Sion=ecclesia) haec verba valent de ecclesia Christi, quae fundata est super petram cf. Mat. 16, 18. *latera aquilonis*=pars septentrionalis urbis s., ubi templum aedificatum erat (mons Moria). *Mons Sion* et *latera aquilonis*=*civitas regis magni.*

V. 4. *Deus in domibus ejus cognoscetur*=in domibus et ab incolis urbis s. verus Deus cognoscitur et colitur. *cum suscipiet eam* =quia protegit et conservat eam scil. urbem s.; futurum h. l.= praesens.

V. 5. Commemoratur expeditio bellica a pluribus regibus contra urbem s. instituta cf. II. Paral. 20, 11 sqq.

V. 6. *ipsi videntes sic admirati sunt*=statim ac viderunt (urbem s.) obstupuerunt et conturbati sunt cf. II. Paral. 20, 23. 29. *sic*=tunc. *commoti sunt*=, fugerunt.

V. 7. Ita vers. construi debet: tremor apprehendit eos ibi et dolores sicut parturientis. In v. 6. et 7. pulchra gradatio observatur:

hostes viderunt — obstupuerunt — conturbati sunt — fugerunt — tremor apprehendit illos.

V. 8. H. l. exemplum adducitur ad omnipotentiam Dei ostendendam. *spiritu vehementi* = vento seu procella vehementi. *conteres* = *conterere potes. naves Tharsis;* naves Tartessum (in Hispania) vectae erant potentissimae.

V. 9. Sens.: quod audivimus a majoribus nostris de auxilio et favore, quo Deus civitatem s. prosequitur, hoc idem nos ipsi propriis oculis adimpletum vidimus cf. II. Paral. 20, 17. *virtutum* = exercituum. *Deus fundavit eam in aeternum;* haec verba non tam ad Hierosolymam veterem quam potius ad Hierosolymam novam i. e. ad ecclesiam Christi referri debent.

V. 10. Sens.: orantes in medio templi tui accepimus misericors auxilium tuum. Juxta alios *suscipere* = celebrare, gratias agere.

V. 11*a*. Sens.: sicut majestas et potentia, ita et laus Dei infinita esse debet.

V. 11*b*. Sens.: opera omnipotentiae divinae sunt justissima.

V. 12. Incolae urbis s. et reliquarum urbium in regno Juda invitantur ad laetitiam suam manifestandam propter judicia Dei, quibus adversarios theocratiae punivit.

V. 13. et 14. Psalmista invitat populum ad considerandam pulchritudinem et firmitatem civitatis s. *circumdate et complectimini* = circuite et contemplamini. *narrate in turribus ejus* = numerate turres ejus. *ponite corda vestra in virtute ejus* = considerate ejus firmitatem et munitiones. *distribuite domos* = perlustrate palatia.

V. 15. *hic* = hoc loco, nempe in urbe s. Deus est in aeternum. Hoc autem non valet de Hierosolyma temporali, sed tantum de spirituali i. e. de nova ecclesia. Juxta alios sens. v. 15. est: hic Deus, qui urbem s. tam potenter et fortiter protexit, manebit Deus noster, protector et rex noster in aeternum.

Usus liturgicus. Ps. 47, praecipue propter sensum typicum in liturgia ecclesiastica usurpatur et quidem 1) in festo nativitatis Domini (cum nativitate Christi incepit fundatio ecclesiae — in praesepio Bethlehmitico jacebat germen ecclesiae); 2) in f. Pentecostes (in quo fundatio ecclesiae absoluta est); 3) in f. ss. Trinitatis (fundatio et conservatio ecclesiae est opus totius ss. Trinitatis — Deus Pater ecclesiam protegit, Filius eam salvat, Spiritus s. sanctificat); 4) in festo dedicationis ecclesiae (quaelibet ecclesia cum fidelibus ibi congregatis est particula ecclesiae universalis); 5) in festis Vir-

ginum (quaelibet anima gratia sanctificante ornata, praesertim quaelibet anima virginalis adhuc in gratia prima constituta est quasi civitas Dei cf. v. 2. 3. 9).

Psalmus XLVIII.

Argumentum. Ps. 48. motiva consolationis pro justo oppresso et afflicto proponit utpote describens diversam sortem justorum et impiorum in altera vita; est ergo quaedam species theodiceae. Totus psalmus praeter inscriptionem in exordium et duas partes utrimque aequales dividitur, quae versu intercalari inter se discernuntur. In exordio v. 2-5. auctor omnes homines et omnes populos invitat ad audienda verba sapientiae, quae in hoc cantico propositurus est; in I. parte v. 6-13. psalmista justos in rebus adversis constitutos adhortatur, ut bono animo sint, etiamsi impios divitiis et voluptatibus affluere videant, quia ejusmodi felicitas brevi tempore per mortem inevitabilem finem accipiat; in II. p. v. 14-21. ostendit, impios divites post mortem ad aeternum supplicium condemnatum justos autem a morte aeterna liberatum iri et in judicio victoriam reportaturos esse. — Notandum est, hunc ps. partim ob linguam duram et scabrosam in vers. 70 et Vulg., partim ob corruptionem ipsius textus originalis difficilem esse explicatu.

Annotationes. V. 3. *quique*=quicunque=omnes. *terrigenae*=filii hominum; juxta alios: *terrigenae*=pauperes, plebeji; *filii hominum*=divites, potentes. *simul in unum*=ad unum omnes.

V. 4. *meditatio cordis mei*=cor meum meditatur.

V. 5. *parabola*= carmen didacticum. *in psalterio*=ad sonum harpae seu citharae. *aperiam*=incipiam evolvere. *propositionem*, in 70 *πρόβλημα*=thema, de quo disceptatur.

V. 6. *in die mala*=tempore calamitatis. *iniquitas calcanei mei circumdabit me*=(cur timeam tempore quo) pravitas illorum, qui calcaneo meo insidiantur, circumdat me? Alii putant, *calcaneum* esse=ratio vitae; tunc sensus v. 6. esset: tempore adversitatis nihil timendum est quam peccatum.

V. 7. et 8. Sens.: illos, qui in potentia et divitiis suis confidunt, nemo a morte redimere potest. *in virtute*=in potentia. *frater -- homo*=unus -- alter. *frater non redimit, redimet homo*=neque unus neque alter redimere potest; negatio ad utrumque verbum

pertinet. *non dabit Deo placationem suam*=non potest Deo solvere pretium placationis pro se, ita ut a morte eximeretur.

V. 9. *pretium redemptionis animae suae*=pretium, quo vitam sibi redimere posset. *et laborabit*=etiamsi laboraret. *et* h. l.=etiamsi, juxta alios=ut; tunc sensus esset: ita ut operibus suis occupari possit in aeternum.

V. 10. Sens.: ita ut vivere posset in sempiternum.

V. 11. Sens.: Impii ne cogitant quidem de morte, quamvis sapientes i. e. justos mori videant; sed etiam stulti i. e. impii mori et divitias suas aliis relinquere debent. *non videbit interitum*=non cogitat de interitu suo. *simul*=etiam, pariter. Punctum post verbum *peribunt* delendum est.

V. 12. Sens.: impii oblivioni dabuntur et sepulchrum habitaculum eorum erit, etiamsi terris et possessionibus suis nomen suum indiderint.

V. 13. Sens.: homines impii divitiis et honoribus circumdati non cogitant de sorte futura et de altera vita, sed instar animalium irrationalium cupiditatibus suis reguntur. Pro praeterito praesens ponendum est.

V. 14. *haec via illorum scandalum ipsis*=haec agendi ratio impios perducit ad ruinam et interitum. *et postea in ore suo complacebunt*=et deinde etiam illos (perducit ad interitum) qui sermonibus eorum delectantur. Juxta alios sens. v. 14*b*. hic est: et tamen sunt, qui postea sermonibus eorum delectantur.

V. 15. Sens. v. 15*a*.: impii sicut oves destinatae ad lanienam a morte abripiuntur et ad inferos detruduntur. *dominabuntur*=praevalebunt seu plus valebunt. *in matutino*=in brevi. *auxilium eorum veterascet in inferno*=in inferno seu post mortem nullum amplius auxilium habebunt. *a gloria eorum*=absque gloria erunt; vel=**post** gloriam eorum.

V. 16. Sens.: me autem (i. e. justum) Deus redimet a potestate inferi, quum me voluerit accipere et abripere. Verba *cum acceperit me* forsitan=quia Deus me suscipiet (ita in t. hebr.).

V. 17. et 18. Sens.: ne timeas, si videris impium in divitiis et honoribus constitutum, nam quum mortuus fuerit neque divitias neque gloriam suam secum ducere potest.

V. 19. Sens.: impius tantum in vita sua honoratur et felix praedicatur; nam adulatores eum laudant, quum bonis suis fruatur. *anima ejus*=ipse. *confiteri alicui*=eum laudare. *ei*=animae tuae.

V. 20. Sens.: post mortem impii congregabuntur ad majores suos, qui eos in impietate praecedebant, et nunquam lumen aeternae beatitudinis videbunt.

Nota. Significatio liturgica hujus psalmi fere nullius momenti est.

Psalmus XLIX.

Auctor. Juxta inscriptionem in v. 1. hic psalmus compositus est a Levita Asaph, qui tempore Davidico et Salomonico erat praefectus cantorum in sanctuario cf. I. Paral. 16, 5. 25, 1 sq. II. Paral. 29, 30. Duodecim dantur psalmi Asaphici, nempe 49. et 72-82. Attamen isti psalmi non omnes ab Asapho patre, sed nonnulli ab ejus posteris derivantur, uti ex materia substrata seu ex argumento elucet.

Argumentum. In I. parte v. 1-6. psalmista Deum ex monte Sion ad judicium advenientem inducit; in II. p. v. 7-15. Deus praeprimis judicium instituit de illa populi parte, quae mero cultui externo dedita erat, et ostendit, se victimis externis non indigere, sed potius pietatem, fiduciam et gratiarum actionem postulare; in III. p. v. 16-22. Deus ad aliam partem populi hypocrisi infectam se vertit; istos hypocritas de **externa** cognitione et possessione legis gloriantes gravibusque peccatis indulgentes ad judicium suum vocat et poenam rigorosam eis comminatur; in conclusione v. 23. doctrina summaria totius psalmi modo compendioso enuntiatur.

Annotationes. V. 1. *Deus deorum* = summus Deus cf.: rex regum, coeli coelorum, vanitas vanitatis, canticum canticorum. Repetitio nominis in genitivo superlativum indicat. In t. hebr. est: Deus fortis. Pro praeterito tempus praesens ponendum est.

V. 2. Suppleri debet: *apparebit. Sion* in sens. litter. = mons, ubi erat sanctuarium et centrum theocratiae V. T.; in sens. allegor. = ecclesia N. T.; in sens. eschatolog. seu anagogico = ecclesia coelestis. *species decoris* = summa pulchritudo.

V. 3. *non silebit* = non potest silere ad peccata hominum, sed judicium suum proferre debet. In v. 3*b*. theophania simili modo describitur sicut in legislatione Sinaitica cf. Ex. 19, 16-18. ps. 17, 8-9. Imagine ignis et tempestatis ira Dei contra peccatores ejusque zelus designatur cf. Hebr. 12, 29.

V. 4. Sens.: Deus angelos et homines ad judicium suum vocat.

discernere=judicare. *populum suum*=angelos et homines; vel juxta alios=populum theocrat.

V. 5. *illi*=Deo judicaturo. *sanctos*=cultores Dei, in specie Israelitae intelliguntur. *qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*=qui foedus cum Deo ineunt offerentes sacrificia.

V. 6. *coeli*=spiritus coelestes. *Deus judex est*=Deus jam per se et natura sua potestatem judicandi habet.

V. 7. *testificabor tibi*=demonstrabo tibi. *Deus tuus ego sum:* his verbis indicatur causa principalis, ob quam populus Israeliticus Deo obedire debet, utpote quia Deus speciali modo est **dominus** populi a se electi cf. Ex. 20, 2.

V. 8. Sens.: non propter legem sacrificiorum violatam vitupero te, nam haec lex quoad partem externam adamussim adimpletur. *autem*=enim; in hebr. est *et* (ve) epexegeticum.

V. 9. *non accipiam*=non opus habeo accipere, non indigeo.

V. 10. et 11. Deus causam exponit, cur externis sacrificiis non indigeat, quia nempe tota materia sacrificiorum jam proprietas Dei est. *pulchritudo agri*=fruges agri.

V. 12. *Si esuriero, non dicam tibi*=si esurirem, non dicerem tibi.

V. 13. Modo vivido ostenditur stultitia eorum, qui opinantur, Deum sola oblatione externa sacrificiorum contentum esse. H. l. non absolute reprobantur sacrificia externa, sed tantum demonstratur, ea per se sola sine pietate interna Deo non placere cf. ps. 50, 18 sq. I. Reg. 15, 22. Os. 6, 6. Mich. 6, 6 sq. Is. 1, 11 sqq.

V. 14. Deus postulat etiam sacrificia interna scil. laudis et gratiarum actionis.

V. 15. Sens.: si tali animi affectu sacrificas, tunc preces tuas exaudiam et ego simul glorificabor.

V. 16. Nunc Deus ad iniquos hypocritas se vertit, qui legem et foedus cum Deo ore quidem confitentur at operibus suis transgrediuntur. *justitias*=praecepta.

V. 17. Hypocritae vituperantur propter internum legis contemptum et vilipensionem.

V. 18. Peccatores increpantur ob peccata frequentissima injustitiae et luxuriae.

V. 19. *dolos*=verba dolosa.

V. 20. *ponebas scandalum*=profers convicia et contumelias.

Nota. In v. 17. peccata cordis, v. 18. peccata operis, v. 19. et 20. peccata oris perstringuntur.

V. 21. *tacui*=non statim punivi. *existimasti inique, quod ero tui similis*=ex longanimitate mea concludis, me peccata non punire et injustum esse, sicut homines. *statuam contra faciem tuam*= peccata ante oculos tuos ponam et rationem de eis exigam.

V. 22. Juxta Vulg. psalmista, juxta t. hebr. Deus loquitur. *nequando rapiat....*=ne Deus vos abripiat ad judicium et poenam, quin sit liberator.

V. 23. Sens.: sacrificium spirituale scil. laudis et gratiarum actionis Deum honorificat; hac via seu hoc modo salutem et gratiam divinam consequi potestis. *illic iter*=in hoc consistit via seu modus. *sacrificium laudis* cf. ps. 50, 21. *sacrificium justitiae.*

Sensus typicus et usus liturgicus. In psalmo 49. juxta sensum typicum judicium Messianicum describitur, quod cum primo Christi adventu incepit, in secunda autem parusia Christi finietur. In primo suo adventu Chr. abrogavit externa sacrificia veteris Testamenti, in secundo suo adventu judicabit de sacrificio cordis et de affectibus internis. Etiam in liturgia ecclesiastica psalmus noster ad duplicem adventum Christi refertur; sed raro tantum occurrit (in missa Domin. II. Advent. et fer. III. ad Matut.).

Psalmus L.

Occasio histor. David hunc ps. composuit, postquam propheta Nathan eum parabola de homine paupere et divite proposita graviter adhortatus est, ut poenitentiam ageret de peccatis homicidii et adulterii (v. 2.); fusius hoc describitur II. Reg. 12, 1-14.

Argumentum. In I. parte v. 3-7. David peccatorum indulgentiam divinae miserationi correspondentem culpam penitus solventem a Deo implorat, deinde propriam peccatorum gravitatem, essentiam et originem describit; in II. p. v. 8-14. animo confidenti Deum petit, ut ipsi plenam justificationem concedere velit scil.: *a)* peccatorum remissionem (v. 9. 11.) *b)* renovationem animae per recuperationem gratiae sanctificantis (v. 12) *c)* indulgentiam poenae aeternae (v. 13.) *d)* laetitiam spiritualem seu conscientiae tranquillitatem (v. 10. 14); in III. p. v. 15-19. enuntiat serium propositum reparationis et satisfactionis peragendae et quidem sequentibus modis: *a)* docendo impios voluntatem divinam eosque revocando ad meliorem frugem (v. 15.) *b)* celebrando laudem Dei in ecclesia publica (v. 16. 17.) *c)* offerendo in sacrificium cor suum contritum

et humiliatum (v. 18. 19.); in appendice (v. 20-21.), quae probabiliter tempore exilii babylonici adjecta est, continentur preces ad obtinendam reaedificationem urbis Hierosolymae et restitutionem cultus divini publici.

Annotationes. V. 2. *quando intravit ad Bethsabee*=postquam peccavit cum Bethsabee.

V. 3. *miserationes*=exhibitiones gratiae.

V. 4. Sens.: magis magisque munda me ab omnibus maculis et sequelis peccatorum. *Quibus verbis illud petitum est a Domino, ut non solum crimen sed etiam poenam crimini debitam condonaret atque a peccati reliquiis purgatum ad pristinum decoris et integritatis statum restitueret.* Catechism. Rom., de Poenit. n. 65.

V. 5. *iniquitatem m. cognosco;* cognitio peccati est primus actus poenitentiae. *peccatum meum contra me est semper*=peccatum m. semper mihi ob oculos versatur et remorsus conscientiae animaeque tristitiam mihi parat.

V. 6. *Tibi soli peccavi.* David h. l. peccatum suum praecise tanquam offensam Dei considerat abstrahendo a sequelis funestis pro hominibus; nam propria gravitas et essentia peccati in offensione Dei consistit. *ut justificeris......*=confiteor peccata mea, ut justitia Dei eo clarius appareat. *cum judicaris*=si homines actus tuos dijudicare vel de justitia tua dubitare audent.

V. 7. *Hic vers. totius generis humani casum exponit* (S. Hieronym.). *Suscepit personam generis humani David.... propaginem mortis consideravit, originem iniquitatis advertit et ait: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.... Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est.* (s. Augustin.). Text. hebr. ita sonat: ecce cum iniquitate natus sum et cum peccato concepit me mater mea. Si autem homo cum peccato conceptus et natus est, certe hoc peccatum non potest esse personale vel actuale, sed tantum habituale seu originale. Numerus singul. in text. hebr. indicat, hoc peccatum ex origine sua unicum non multiplex esse cf. Job. 14, 4.

V. 8. Sens.: fidelitas Dei et revelationes divinae mihi jam factae materiam fiduciae subministrant. *veritas*=fidelitas Dei; juxta alios=sinceritas psalmistae. *incerta et occulta sapientiae tuae*= secreta et occulta sapientia tua. In Vulg. nonnunquam adjectivum cum suo substantivo ita conjungitur, ut adjectivum in neutro tan-

quam abstractum ponatur, substantivum autem in genitivo positum ab eo dependeat.

V. 9. cf. Ezech. 36, 25 sq. *asperges me hyssopo:* in hebr.: expia me hyssopo cf. Is. 52, 15. Psaltes alludit ad sparsiones sanguinis sacrificalis et aquae lustralis in V. T. usitatos, quibus expiatio legalis efficiebatur, et expiatio realis per sparsionem sanguinis Christi efficienda praefigurabatur cf. Exod. 12, 22. Lev. 14, 1-7. Num. cap. 19. Hebr. 9, 13. *Et considerandum, quod cor novum et spiritus novus detur per effusionem et aspersionem aquae (baptism.).* S. Hieronym.

V. 10. *auditui meo dabis*—fac me audire vel sentire. *et exultabunt ossa humiliata*—tunc vires meae hucusque depressae et afflictae reviviscent ad alacriorem actionem.

V. 12. Indicatur positivum justificationis elementum i. e. renovatio et regeneratio animae seu positio novae vitae spiritualis cf. Tit. 3, 5. Conc. Trid. Sess. VI. can. 11. cap. 7. *spiritum rectum,* hebr. *firmum* scil. qui firmus stat contra tentationes.

V. 13. *ne projicias me a facie tua;* rejectio a facie Dei importat in hac terra jacturam gratiae, in altera vita amissionem gloriae coelestis seu exclusionem a visione Dei beatifica, ergo indirecte etiam poenam aeternam; ideo h. l. non obscure innuitur, condonationem poenae aeternae esse unum ex effectibus justificationis. *Spiritum s. tuum*=Spiritus sancti gratiam; nam per gratiam Spiritus s. habitat in cordibus nostris cf. Rom. 5, 5. Cor. 3, 16.

V. 14. *laetitiam salutaris tui*=laetitiam, quam affert salus seu gratia a Deo concessa; juxta alios=laetam salutem. *spiritu principali,* in gr. ἡγεμονικῷ=spiritu, qui principi convenit, qui dominatur concupiscentiae. In hebr. habetur: confirma animum meum promptum.

V. 15. David peccatis suis commissis et scandalo dato multos a Deo averterat, nunc verbo et exemplo suo illos iterum ad Deum convertere vult cf. II. Reg. 12, 14. *vias tuas*=praecepta tua.

V. 16. Sens.: libera me de crimine sanguinis, tunc lingua mea cum exultatione laudem justitiae (gratiae) divinae celebrabit. *Deus salutis meae*=Deus salvator meus. *justitiam tuam*=justitiam Dei, qua induit hominem, cum justificat impium. Concil. Trident. cap. 7.

V. 17. *labia mea aperies.* Quamdiu peccatum in anima Davidis dominabatur, labia ejus pro laude Dei quasi occlusa erant, peccato

autem condonato nova causa et materia ad laudem divinam celebrandam praesto erat.

V. 18. Sens.: sola externa sacrificiorum oblatione Deus non delectatur. *si voluisses sacrificium, dedissem utique.* David dicere vult: etiam in statu peccati sacrificia obtuli, sed Deus ea noluit, quia affectibus internis poenitentiae, pietatis etc. destituta erant cf. ps. 39, 7 sqq. 49, 13 sq. Os. 6, 6. Is. 1, 11-17.

V. 19. Sens.: sacrificium Deo gratum est cor poenitens, contritum et compunctum.

V. 20. Petitur, ut reaedificetur Hierosolyma utpote centrum theocratiae et cultus publici. *benigne fac in bona voluntate tua Sion*=benefac gratia tua Sioni.

V. 21. *tunc acceptabis sacrificium justitiae*=tunc offerentur tibi sacrificia omnibus numeris perfecta. *vituli*=materia sacrificiorum optima.

Ista appendix ad ps. 50. (v. 20-21.) in sensu spirituali refertur ad aedificationem novae Hierosolymae i. e. ad fundationem ecclesiae Christi, in qua revera *sacrificium justitiae* i. e. ex omni parte perfectum Deo offertur.

Doctrinae dogmaticae in ps. 50. enuntiatae.

Ps. 50. est quasi centrum psalmorum poenitentialium et inter eos celeberrimus et gravissimus est, nam in nucleo continet totam fere theoriam 1) de peccato (v. 3-7.) 2) de justificatione (v. 8-14.) 3) de statu gratiae (v. 15-19.) 4) de redemptione (v. 20-21); in specie haec praesertim dogmata directe vel indirecte indicantur:

I. **Circa naturam seu essentiam peccati:**

1) Homo jam in conceptione et nativitate peccato affectus est a. v. existit peccatum originale (v. 7,).

2) Concupiscentia et proclivitas ad peccatum derivatur a peccato originali (v. 6. et 7.).

3) Propria essentia et gravitas peccati consistit in offensione Dei v. 6*a*.

4) Deus peccata quoque in gloriam suam convertere potest v. 6*b*.

II. **Circa requisita ad veram poenitentiam necessaria,** quae sunt sequentia: 1) spes divinae misericordiae (v. 3. 4.) 2) cognitio gravitatis peccati in genere et peccatorum suorum in specie (v. 5. 6.) 3) dolor de peccatis commissis et cordis contritio (v. 5. 19.) 4) sincera peccatorum confessio (v. 4-7.) 5) propositum emendationis et satisfactionis praestandae (v. 15-18.). Cf. Concil. Trid. Sess. VI. c. 6.

III. **Circa naturam et effectus justificationis,** qui sunt sequentes: 1) vera peccatorum remissio et deletio, non solummodo contectio seu non-imputatio eorum (v. 3. 9. 11) 2) indulgentia poenae aeternae (v. 13.) 3) renovatio animae per infusionem gratiae sanctificantis (v. 12.) 4) laetitia spiritualis seu tranquillitas conscientiae (v. 10. 14.).

IV. **Circa modum justificationis et statum gratiae:**

1) Solummodo opera hominis in gratia Dei constituti meritoria sunt coram Deo (v. 16. 17.).

2) Sola opera externa sine affectibus internis requisitis Deo non placent (v. 18. 19.).

3) Sacrificia V. T. non ex opere operato sed tantum ex opere operantis justificationem efficiebant (v. 18. 19.).

4) Contritio perfecta jam per se efficit remissionem peccatorum (v. 19.). Cf. Catechism. Rom., de Poenit. n. 34., ubi ex h. l. efficacia contritionis perfectae demonstratur.

Usus liturgicus. Ps. 50. recitatur: 1) in officio feriali Quadragesimae et Adventus ad Laudes, quia prius cor et os emundandum est, antequam laudes Dei celebremus; 2) in collatione extremae Unctionis, quia nullo unquam tempore vitae justiorem causam habemus petendi remissionem peccatorum, quam ingruente mortis periculo; 3) in officio defunctorum nomine quasi animarum in purgatorio detentarum, quae peccata sua detestantes indulgentiam poenae temporalis desiderant; 4) in ultimo triduo hebdomadis s. post unamquamque horam canonicam, nam in hoc triduo respicientes ad Christum ob peccata nostra crucifixum maximopere ad poenitentiam agendam provocamur; 5) pars hujus ps. cantatur diebus dominicis ante missam parochialem ad *Asperges*, quia ante celebrationem sacrificii eucharistici anima sacerdotis et populi emundanda est, ut fructuum sacrificii participes fiant.

Psalmus LIV.

Occasio histor. Hunc psalmum David probabiliter illo tempore composuit, quo Absalom contra patrem suum conjurationem fecit et quidem antequam aperta seditio erupit cf. II. Reg. 15, 1-14.

Argnmentum. In I. parte v. 2-9. David in summo versans periculo precibus enixis auxilium Dei implorat et desiderat, ut in desertum fugere posset; in II. p. v. 10-12. deplorandum statum ci-

vitatis describit, quae violentia, rixationibus et fraude plena erat; in III. p. v. 13-15. de perfidia amici familiarissimi amare conqueritur; in IV. p. v. 16-24. interitum adversariorum exoptat et praedicit atque suam firmam fiduciam in auxilio divino protestatur.

Genus psalmi. Ps. 54. certe non est directe Messianicus, uti elucet ex argumento, quod directe ad Davidem refertur. Sed quia David fatis et factis suis praesertim persecutionibus et tribulationibus suis perpessis typum Christi gerit, ideo hic ps. in sensu typico referri potest ad Christum et praecise ad illud tempus, quo summi sacerdotes et principes populi mortem Christi machinati sunt. Praecipue ea, quae a v. 13-15. continentur, agendi modum Judae proditoris praefigurare videntur cf. Act. 1, 16. Joan. 13, 18. ps. 40, 10. Psalmus noster ex parte etiam ad psalmos s. d. imprecatorios pertinet cf. v. 16. et 24.

Annotationes. V. 1. *in carminibus*=hic ps. pertinet ad carmina. In t. hebr. indicatur instrumentum fidium.

V. 3. *intende mihi*=attende ad me. *in exercitatione*=in sollicitudine et aerumna mea.

V. 4. A v. 4-6. loco temporis praeteriti praesens poni debet. *a voce*=propter verba hostium et propter tribulationes ab impiis mihi paratas cf. II. Reg. 17, 1. 2. Sens. v. 4*b*.: iniquitates mihi objiciunt calumniisque me afficiunt atque animo iracundo molestias mihi parant.

V. 6. *tenebrae* scil. spirituales; nam David illo tempore omni consilio et auxilio destitutus erat.

V. 7. Sens.: utinam alae mihi essent, ut ab hoc loco funesto avolare et in loco tuto quiescere possem!

V. 8. Sens.: procul ab hoc loco fugerem et manerem in solitudine cf. II. Reg. 15, 14. 23. 28. Pro praeterito conjunctivus imperfecti poni debet; in hebr. est futur., quod etiam optativum et conjunctiv. supplet.

V. 9. Sens.: exspecto auxilium Dei, qui me liberabit a pusillanimitate et a periculo. In t. hebr. est futurum.

V. 10. Sens.: perde conjuratos et disturba concordiam eorum, nam video iniquitatem et rebellionem in civitate cf. II. Reg. 15, 31. 17, 7. 14.

V. 11. *circumdabit*=circumdat. *labor*=iniquitas.

V. 12. *non defecit*=non deest. *usura*=oppressio.

V. 13*b*. Sens.: si **inimicus meus** sermones superbos et rebelles contra me elocutus esset, tunc cavere potuissem ab eo.

V. 14. *homo unanimis*=amicus. *dux mens*=consiliarius meus. *notus*=familiaris.

V. 15. Sens.: convictor meus et socius in cultu divino celebrando. Verba a v. 13-15. a ss. Patribus ponuntur in ore Christi conquerentis de Juda discipulo perfido et traditore. Juxta sensum litteral. autem sub isto amico perfido probabiliter intelligitur Achitophel consiliarius regis cf. II. Reg. 15, 12. 31.

V. 16. *super illos* i. e. adversarios. *descendant in infernum viventes*=utinam in vigore vitae suae morte abripiantur cf. Num. 16, 33. Hoc desiderium psalmistae non ex studio vindictae privatae sed ex zelo justitiae divinae derivatur cf. I. Cor. 16, 22. Gal. 5, 12. Desiderium Davidis facto completum est, nam exercitus rebellis ad internecionem usque caesus est (cf. II. Reg. 18, 7 sqq.) et Achitophel seipsum suspendit (cf. II. Reg. 17, 23.).

V. 18. *narrabo et annuntiabo*=preces meas proferam.

V. 19. *in pace*=gratia sua. *appropinquant mihi*=persequuntur me. *inter multos erant mecum*=multi sunt contra me (hebr.).

V. 20. *exaudiet Deus* suppl.: me. *commutatio*=emendatio.

V. 21. Sens.: Deus adversarios meos castigabit, quia ipsius praecepta transgressi sunt.

V. 22*a*. Sens.: adversarii exturbantur propter iram et poenam divinam, quia Deus contra illos exurgit.

V. 22*b*. Sens.: sermones eorum sunt quidem molliores oleo, tamen nihilominus vulnerant sicut jacula acuta.

V. 23*b*. Sens.: Deus numquam permittet, ut justus vacillet et cadat.

V. 24. Sens.: isti viri injusti et sanguinolenti mox Deo sic disponente morte abripientur. *in puteum interitus*=in foveam interitus i. e. in mortem. *non dimidiabunt dies suos*=non pervenient ad mediam aetatem.

Psalmus LV.

Occasio histor. Uti patet ex inscriptione David hunc ps. composuit, quando fugiens a Saule persequente cum asseclis suis degebat Gathae in terra Philisthaeorum cf. I. Reg. 27, 1-7.

Argumentum. Ps. 55. versu intercalari bis posito (v. 5. et 11.) in tres partes dividitur. In I. parte v. 2-4. psalmista auxilium et protectionem divinam contra impugnationes adversariorum implorat;

in II. p. v. 6-10. insidias inimicorum describit eorumque humiliationem praedicit; in III. p. v. 12-13. promittit gratiarum actionem pro auxilio divino, quod cum securitate exspectat; in v. intercalari resignationem in voluntatem Dei et firmam fiduciam in auxilio divino enuntiat.

Annotationes. V. 1. *pro populo, qui a sanctis longe factus est* = pro populo, qui a sanctuario longinquus est; nam David, quando hunc ps. composuit cum asseclis suis procul degebat a sanctuario. Alii putant, hanc partem inscriptionis in exilio babylonico additam esse. Text. masor. habet: juxta (melodiam cantici): *columba muta procul degens. David in tituli inscriptionem;* in hebr.: carmen Davidis. *cum tenuerunt eum* = quando eum apud se commorari permiserunt. *Allophyli* = Philisthaei; in vers. Alex.: ἀλλόφυλοι = alienigenae. Vers. Alex. saepe hac voce Philisthaeos designat cf. ps. 82, 8; 86, 4.

V. 2. Pro praeterito praesens poni debet. Sens.: homines contra me pugnantes persequuntur et tribulant me.

V. 4. Loco futuri praesens poni debet. *ab altitudine diei* = a summis periculis; juxta alios = tempore altae diei, quo scil. fugitivi se abscondere nequeunt. Text. hebr. vocem *ab altitudine* (= ob superbiam) cum v. 3. conjungit; idem faciunt nonnulli ss. Patres graeci et latini. In t. hebr. v. 4. ita sonat: quocunque tempore terreor, ego in te fiduciam pono.

V. 5*a*. Sens.: propter Deum seu in Deo confisus laudo conditionem meam i. e. cum ea contentus sum. Pro praeterito et futuro praesens poni debet. *sermones meos* = res meas seu conditionem meam; vox *sermones* h. l. est hebraismus, nam v. dabâr tum sermonem tum rem seu factum significat. In t. hebr. est: *sermones* **ejus** = voluntatem seu providentiam Dei.

V. 6. *verba mea execrabantur* = verba mea pervertunt. Sens. v. 6*b*.: omnia consilia eorum relate ad me eo tendunt, ut malum mihi inferant.

V. 7. Loco futuri et praeteriti praesens poni debet. *inhabitabunt et abscondent* = abscondite seu clam congregantur. Verbum *abscondere* h. l. ponitur pro adverbio. *calcaneam* = vestigium. *sicut sustinuerunt animam m.* = quia vitam mihi eripere desiderant. *sustinere* = expectare, desiderare.

V. 8. *pro nihilo* = nullo pretio, nullo modo. *populos* scil. perversos, impios.

V. 9. *vitam meam annuntiavi tibi*=conditionem meam periculis et calamitatibus plenam tibi patefacio. *posuisti lacrymas m. in conspectu tuo*=calamitates meae tibi cognitae sunt et ad misericordiam te movent. *sicut et in promissione tua*=quemadmodum etiam promisisti.

V. 10. Sens.: quandocunque te invocavero, inimici mei recedere debent; nam novi, te esse Deum meum tutelarem.

V. 11. cf. v. 5. *verbum, sermonem*=rem, factum, conditionem.

V. 12. Sens.: vota in honorem tuum emissa mihi incumbunt eaque solvam in laudem tuam. In vers. Alex. loco *laudationes* habetur *αἰνέσεως*, in psalt. Roman. *laudationis*. In t. hebr. est: solvam tibi sacrificia laudis (eucharistica).

V. 13. *eripuisti pedes meos de lapsu*=tu salvas me ab interitu. *in lumine viventium*=in lumine vitae.

Usus liturg. Propter significationem typicam (David fugiens typus Christi patientis) ps. 55. recitatur in officio passionis Domini et in festo 7 dolorum B. M. V., atque singuli versus occurrunt in Missali Rom. tempore Quadragesimae et Passionis. SS. Patres sub *columba muta procul degente* et sub *populo longe facto a sanctis* (cf. inscript.) intelligunt animas exulantes a patria coelesti; ideo feria 4. ad Matut. quaelibet anima afflicta exulans in his terris hunc ps. ad se referre potest.

Psalmus LVI.

Occasio histor. David hunc ps. composuit, quum fugisset a Saule persequente in speluncam (v. 1.). D. bis in spelunca refugium quaesivit, prima vice in spelunca Odollam (I. Reg. 22, 1.), altera vice in spelunca prope Engaddi (I. Reg. 24, 1-23.); ex argumento erui non potest, quanam vice hunc ps. exaraverit.

Argumentum. Ps. 56. versu intercalari (6. et 12.) in duas strophas dividitur. In I. str. v. 2-5. David auxilium Dei contra adversarios implorat et protectionem divinam in vita praeterita jam expertam gratus commemorat; in II. str. v. 7-11. describit insidias inimicorum, praedicit eorum interitum et pollicetur, se Deum laudaturum eique gratias acturum esse; in v. intercal. Deum precatur, ut sublimem majestatem et infinitam gloriam suam ostendere velit.

Annotationes. V. 1. *ne disperdas*=ad modum cantici, quod

incipit verbis: ne disperdas cf. Deut. 9, 26-29. *David in tituli inscriptionem* cf. ps. 55, 1. In psalt. Hieron. inscriptio hebr. ita vertitur: pro victoria, ut non disperdas David humilem et simplicem, quando fugit etc.

V. 2. *in umbra alarum tuarum sperabo*=in protectione tua confido. *iniquitas*=pernicies, calamitas; nam h. l. *iniquitas* in sensu objectivo sumitur, ideo non iniquitas psalmistae intelligitur, sed aliorum, qui ei perniciem afferre voluerunt.

V. 3. *qui benefecit mihi;* David beneficia Dei praeterita commemorat.

V. 4. *misit de coelo*=suppl. auxilium. *dedit in opprobrium conculcantes me*=persecutores meos ignominia affecit. *veritatem*=fidelitatem.

V. 5. *de medio catulorum leonum;* inimicos suos David comparat cum bestiis cruentis. *dormivi conturbatus*=propter pericula imminentia somnus meus erat turbatus; juxta alios=in auxilio divino confisus dormivi non obstante conturbatione. *filii hominum dentes eorum....*=verba istorum hominum sunt acuta sicut sagittae et gladius.

Nota. In lingua hebr. nomen cum emphasi efferendum ab initio et in nominativo (absolute) ponitur, casus autem nomini conveniens inserto pronomine exprimitur.

V. 6. Sens.: ostende potentiam et gloriam tuam in coelis et in terra.

V. 7. Sens.: adversarii me capere et perdere, humiliare et opprimere voluerunt, insidias mihi struxerunt, sed ipsi propriis laqueis capti sunt.

V. 8. Sens.: promptum est cor meum ad Deum laudandum eique gratias agendum.

V. 9. *gloria*=anima, quae est hominis gloria cf. ps. 29, 13. *psalterium*=harpa seu lyra. *exurgam diluculo*=primo mane surgam ad canticum laudis canendum.

V. 10. *in populis, in gentibus*=inter populos alienos. David non tantum apud populum Israeliticum sed etiam inter populos gentiles laudem Dei celebrare vult.

V. 11. Sens.: misericordia et fidelitas tua infinita est.

Usus liturgicus hujus ps. fere idem est ac psalmi 55.

Nota. Vers. 8-12. ex ratione liturgica repetuntur ab initio psalmi 107 (a v. 2-7).

Psalmus LVIII.

Occasio historica. Ex inscriptione elucet, Davidem hunc ps. exaravisse, quum e periculo mortis a Saule sibi parato consilio et auxilio uxoris suae Michol evasisset; quod factum propius describitur I. Reg. 19, 9-18.

Argumentum et divisio. Ps. 58. binis versiculis intercalaribus (ex una parte v. 7. et 15., ex altera v. 10 sq. et 18.) in 4 strophas dividitur. In I. str. v. 2-6. psalmista ab adversariis suis undequaque impetitus auxilium Dei implorat et liberationem ex imminenti periculo enixis precibus petit; in II. str. v. 7-11. malitiam et molimina adversariorum describit et suam fiduciam in auxilio divino protestatur; in III. str. v. 12-16. postulat adversariorum suorum castigationem eorumque confusionem et interitum praedicit; in IV. str. v. 17-18. promittit, se in grati animi significationem laudes Dei esse celebraturum. In vers. intercalaribus duae cogitationes principales hujus ps. exprimuntur scil.: ex una parte vehementissimae insidiae adversariorum, ex altera parte firmissima fiducia psalmistae.

Genus psalmi et usus liturgicus. Ps. noster ex parte (v. 6. 12-14.) ad s. d. psalmos imprecatorios pertinet. Attamen imprecationes potius per modum praedictionis quam per modum optationis enuntiantur. Desiderium psalmistae ultimo refertur ad manifestationem gloriae Dei (cf. v. 14.) non ad interitum adversariorum. In liturgia N. T. verbis hujus ps. perstringuntur inimici ecclesiae christianae, quorum humiliationem et subjectionem semper optare et desiderare debemus; cf. verba in Litaniis majorib.: ut inimicos ecclesiae humiliare digneris. Feria 6. in Parasceve Domini psalmus noster ad Christum patientem et ipsius persecutores refertur.

Annotationes. V. 1. *ne disperdas* cf. ps. 56, 1. *David in tituli inscriptionem* cf. ps. 55, 1. 56, 1.

V. 3. *a viris sanguinum* = a viris cruentis, qui sanguinem innocentem effundunt.

V. 4. *ceperunt animam m.* = vitam mihi eripere conantur.

V. 5. *neque iniquitas mea neque peccatum meum* = nullam causam habent me persequendi, quia neque iniquitatem neque peccatum commisi. *sine iniquitate cucurri* = vitam justam et rectam ago. *direxi* scil. gressus meos.

V. 6. *exurge in occursum meum*=veni in auxilium meum. *virtutum*, in hebr.: exercituum. Deus qua Dominus exercituum potest, qua Deus Israel debet auxilium ferre regi ab ipso electo. *visitare* h. l. in sensu malo sumitur=punire. *gentes* proxime sunt populi alieni theocratiae adversi, in quorum numerum Israelitae quoque referuntur, qui ordinem theocraticum perturbant. *non miserearis*= ne remitte eis poenam.

V. 7. Tempus futurum h. l. actionem perdurantem seu frequentem indicat. David adversarios insidias sibi parantes comparat cum canibus famelicis, qui tempore vespertino pervagantur civitatem praedam quaerentes. *convertentur*=revertentur, quod ponitur pro adverbio: iterum.

V. 8. *loquentur in ore suo*=sermones inter se conferunt. *gladius in labiis eorum*=objectum hujus sermocinationis est gladius i. e. consilium me occidendi ineunt. *quis audivit*, suppl. ab initio: dicunt.

V. 9. Sens.: Deus facili modo omnes conatus adversariorum eludere et ad nihilum redigere potest cf. ps. 2, 4. *gentes* h. l. nominantur omnes impii et adversarii theocratiae.

V. 10. *fortitudinem meam ad te custodiam*=fortitudinem meam te adjuvante servabo. *ad te*=apud te. In t. originali sine dubio erat: *fortitudo mea tibi psallam (cantabo)*, sicut in v. 18. Corruptio textus hebr. propter similitudinem verborum facillima erat cf. Bickell, l. c. p. 59. *susceptor*=protector.

V. 11. *Deus meus misericordia ejus praeveniet me*=misericordia Dei mei praeveniet me cf. ps. 56, 5; ideo semicolon delendum est.

V. 12. *Deus ostendet mihi*, suppl.: potentiam suam vel castigationem inimicorum. *ne occidas eos....* David non mortem adversariorum sed potius diuturnam castigationem desiderat, ut populus vivum divinae justitiae exemplum prae oculis habeat. *depone eos*, scil. a muneribus et dignitatibus.

V. 13. *delictum oris eorum....* suppl.: propter. *comprehendantur in superbia sua*=ipsa superbia eorum sit eis in laqueum et ruinam. *annuntiabuntur*=accusantur seu annuntiantur ut execratores et mendaces. In t. hebr. v. 13. ita sonat: malum est, quod ex ore eorum procedit, quod in labiis eorum est, ideoque capientur ob superbiam suam et propter execrationem et mendacia, quae proferunt.

V. 14. *in consummatione, in ira consummationis*=tempore,

quo ira Dei eos consummat i. e. extinguit; juxta alios=in consummatione saeculorum. In t. hebr. est: dele eos in ira, dele eos. Sens. v. 14*b*.: tunc dominium Dei universale ab omnibus etiam a gentibus et impiis agnoscetur.

V. 16. Continuatur imago de canibus famelicis, qui praedae avidi circumvagantur. *et*=tunc.

V. 17. *exultabo mane*=celebrabo tempore matutino.

V. 18. *adjutor meus*, in hebr.: fortitudo mea cf. v. 10.

Psalmus LIX.

Occasio histor. Ex inscriptione (v. 2.) erui potest, Davidem hunc ps. composuisse eo tempore, quo contra Syriam Mesopotamiae et contra Edomitas bellum gessit (cf. II. Reg. cap. 8., I. Paral. cap. 18). Juxta relationem librorum historicorum illa bella quidem feliciter gesta sunt, dum in nostro ps. de conditione fatali et periculosa populi Israelitici sermo est. Attamen ex hoc non potest inferri, contradictionem inter illam relationem historicam et hunc ps. adesse. Nam in libris historicis tantum exitus finalis belli paucis indicatur, in ps. autem agitur de aliquo eventu seu facto speciali, quod per decursum belli accidit et Israelitis adversum erat, donec in fine victoriam reportarent. Nonnulli putant, psalmistam commemorare tantum calamitatem aliquam praeteritam; in isto casu omnis difficultas evanesceret.

Argumentum. In I. parte v. 3-7. auctor amare conqueritur de gravi calamitate Deo permittente populo Israelitico inflicta, deinde Deum precatur, ut populo suo auxilium ferat; in II. p. v. 8-10. Deus loquens inducitur promittens, se non tantum omnes tribus Israel, sed etiam populos alienos theocratiae esse subjecturum; in III. p. v. 11-14. psaltes regius spem suam exprimit, se Deo adjuvante Edomitas superaturum esse, auxilium divinum contra hostes implorat et totam suam fiduciam in Deo collocat.

Annotationes. V. 1. *pro his, qui commutabuntur*=pro his, quorum conditio in melius mutatur; in t. hebr. est: juxta (melodiam cantici) *lilium testimonii. in tituli inscriptionem....* cf. ps. 55, 1. *ipsi* cf. ps. 15, 1. *in doctrinam*=carmen instructivum (didacticum).

V. 2. *cum succendit*=cum igne et gladio devastaret. Psalt. Hieron.: quando pugnavit contra Syriam Mesopotamiae. *Mesopotamia*= terra inter Euphraten et Tigrim. *Syriae*=Syriaca. In t. hebr. est:

Aramaea fluminum=pars septentrionalis Mesopotamiae. *Sobal;* in t. hebr. et II. Reg. 8, 3. I. Paral. 18, 3. legitur **Soba,** in ling. Syriaca: Saubo=Nisibis, urbs ad orientem et septentrionem Syriae. *et convertit Joab et percussit*=quando Joab reversus percussit. *vallis Salinarum* erat probabiliter ad meridiem maris mortui, quod etiam mare salis nominatur. *12000* suppl.: virorum; in II. Reg. 8, 13. et I. Par. 18, 12. est numerus: 18000, ideo vel in libris historicis vel in psalmo numerus originarius corruptus est.

V. 3. Sens.: Deus permisit quidem in castigationem nostram, ut cladem pateremur, tamen iterum miseretur nostri. In hebr. est futurum: misereberis (miserearis).

V. 4. *commovisti terram et conturbasti*=permisisti, ut terra nostra incursione hostili concuteretur et conturbaretur. *contritiones*=fracturae, vulnera.

V. 5. *potasti nos vino compunctionis*=ad impotentiam nos redegisti. *vinum compunctionis*=vinum consopiens i. e. ad impotentiam redigens.

V. 6. Sens.: cultoribus tuis (Israelitis) dedisti signum, ut fugerent a telis hostilibus et ita a morte liberarentur. *a facie arcus*=a pugna cum hostibus. *dilecti tui*=Israelitae, populus a Deo dilectus.

V. 7. *salvum fac dextera tua*=salva nos potentia tua.

V. 8. *in sancto*=in sanctuario (vel coelesti vel terrestri). *laetabor et partibor*=libenter dispertio. *Sichimam*=Sichem. *convallis tabernaculorum*=vallis Succoth in terra transjordanica (cf. Gen. 33, 17.). Interpres graec. et latin. vocem hebr. *Succoth* non tamquam nomen proprium sed tanquam appellativum considerarunt. Sichem et Succoth synecdochice pro terra cis- et transjordanica i. e. pro tota terra promissa ponuntur. *metibor*=dimetiar seu distribuam, vel: distribuere possum.

V. 9. *Galaad*=regio transjordanica ad septentrionem torrentis Jabok, quae ad mediam tribum Manassae pertinebat. *fortitudo capitis mei*=potentia mea capitalis (principalis). Ephraim erat tribus numerosissima et fortissima cf. Gen. 48, 19. *Juda rex meus*=munus regium pertinet ad tribum Juda cf. Gen. 49, 10. Forsitan h. l. Manasse (Galaad) et Ephraim in specie nominantur ad indicandum etiam has tribus sceptro Juda subjectas esse, quia ab initio regni Davidici istae tribus Isboseth filium Saulis regem constituerant cf. II. Reg. 2, 9.

V. 10. *Moab olla spei meae*=*objectum spei meae*=spero, me

Moabitas subjecturum esse (cf. v. 10*c*). *extendam calceamentum meum* = ponam pedes meos i. e. subjiciam. *alienigenae* = Philisthaei cf. ps. 55, 1.

V. 11. *civitas munita*; forsitan hac voce intelligitur urbs capitalis Idumaeae vel generatim civitates munitae, quas David expugnare voluit, indicantur.

V. 12. *nonne tu Deus, qui repulisti nos* = tu Deus, qui antea nos rejicere videbaris, deduces me in Idumaeam. *non egredieris* = nonne egredieris i. e. certe egredieris. *in virtutibus nostris* = cum exercitibus nostris; in t. hebr. est v. s^e^baoth = exercitus.

V. 13. Sens.: opem fer nobis et de tribulatione eripe nos (constr. praegn.), nam omne humanum auxilium vanum est.

V. 14. Sens.: auxilio divino adjuti fortiter pugnabimus, Deus autem adversarios nostros delebit.

Nota. Vers. 6*c*-14. repetuntur in ps. 107, 7-14 cf. ps. 56, 8-12. Ps. 107. nempe ex parte psalmi 56. et ex parte nostri ps. compositus est. Haec compilatio sine dubio ad usum liturgicum a collectoribus psalmorum facta est.

Psalmus LXI.

Auctor et occasio histor. Auctor hujus ps. est David, qui eum prout ex argumento concludi potest vel tempore persecutionis Saulicae vel rebellionis Absalomicae exaravit; postmodum eum Idithuno praefecto cantorum in sanctuario ad usum liturg. tradidit (v. 1. cf. Ps. 38).

Argumentum. In I. parte v. 2-8. David multis persecutionibus et insidiis adversariorum exagitatus firmissimam suam fiduciam in auxilio divino protestatur; in II. p. v. 9-13. omnes asseclas suos adhortatur, ut ipsi quoque spem suam in solo Deo ponant et non in hominibus, quorum auxilia et opes vana esse ostendit, quia solus Deus potens, misericors et justus est. V. 2. cum 3. ex una parte et v, 6. cum 7. ex altera parte quoad sensum et in textu originali probabiliter etiam quoad verba (cf. Bickell, l. c. p. 40.) sibi sunt aequales et sententiam principalem seu thema psalmi continent.

Annotationes. V. 2. Sens.: ego sub protectione Dei positus sum, ab ipso enim venit salus mea.

V. 3. *salutaris meus* = salvator meus. *non movebor* = non vacillabo.

V. 4. *in hominem* i. e. in ipsum psalmistam. *interficitis universi vos*=vos omnes me interficere vultis. *tanquam parieti inclinato et maceriae depulsae*=quamdiu in me irruitis acsi essem paries inclinatus et murus corruens i. e. ruinae proximus?

V. 5. *verumtamen*=utique, certe. *pretium m. cogitaverunt repellere*=modum excogitant, quo honorem meum mihi eripiant. *pretium m.*=aestimatio mei i. e. honor meus. *cucurri in siti*=circumerro sitibundus.

V. 6. Sens.: resigna te, anima mea, voluntati divinae, etenim tantum gratia Dei adjutus istas persecutiones patienter et confidenter sustinere possum.

V. 7. *non emigrabo*=non me separabo a Deo; in t. hebr. est: non vacillabo.

V. 8. *in Deo*=apud Deum. *Deus auxilii mei*=Deus est auxiliator meus.

V. 9. *congregatio populi*=populus cum Davide congregatus.

V. 10. *mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant*=fallaces sunt homines, ita ut decipiant (fallant spem), si ponuntur in bilance i. e. si valor eorum exploratur. *ipsi de vanitate*=ipsi constant vanitate i. e. vani sunt. Ante vocem *ipsi* semicolon poni debet. *in idipsum*=ad unum omnes.

V. 11. *in iniquitate*=in divitiis modo iniquo seu injusto acquisitis cf. phrases *villicus iniquitatis*, *mammona iniquitatis* Luc. 16, 8 sq. *rapinae*=res raptae, praeda. *divitiae si affluant, nolite cor apponere*=si divitiae vestrae creverint, nolite cor vestrum earum amori tradere.

V. 12. et 13. Sens.: semel audivi in corde meo vocem Domini duas veritates enuntiantem nempe *a)* potestatem et gratiam pertinere ad Deum, *b)* Deum justum esse.

Psalmus LXII.

Argumentum. In parte I. v. 2-6. psaltes regius ardens desiderium sanctuarii et summum gaudium in cultu divino et in laude Dei celebranda exprimit; in II. p. v. 7-12. firmam fiduciam in auxilio divino protestatur atque interitum adversariorum et suam suorumque victoriam confidenter praenuntiat.

Occasio historica. Ex argumento eruitur, Davidem quum hunc ps. componeret fuisse longinquum a sanctuario multisque periculis

ex parte adversariorum circumdatum; insuper inscriptio indicat, ipsum fuisse profugum in deserto, quod per se tum ad persecutionem Saulis tum ad rebellionem Absalomi referri posset. Attamen quia David in v. 12. se ipsum regem nominat, psalmus noster probabiliter in posteriore occasione exaratus est.

Annotationes. V. 1. *in deserto Idumaeae;* in t. hebr. legitur: *in deserto Juda*, quae lectio melior esse videtur.

V. 2. Sens.: jam primo diluculo te quaero et ad te feror. *anima* et *caro* totum hominem juxta partem superiorem et inferiorem designant. *quam multipliciter*=quam vehementissime. V. 3*a*. adhuc ad v. 2. pertinet.

V. 3*b*. Sens.: simili affectu et eodem desiderio, quod nunc habeo, animatus olim sanctuarium ingressus sum ad contemplandam potentiam et majestatem Dei.

V. 4. Sens.: quia gratia praesentiae tuae in sanctuario summum bonum est in his terris, imo majus bonum quam ipsa vita, ideo praedicabo laudem tuam.

V. 5. Sens.: sicut nunc ita per totam vitam gloriam tuam celebraturus et auxilium tuum deprecaturus sum.

V. 6. Sens.: in sanctuario anima mea maximis bonis replebitur et ideo os meum summo gaudio laudem Dei cantabit. *adeps et pinguedo* indicant id quod optimum est cf. ps. 80, 17; 147, 3.

V. 7. Sens.: tempore tum nocturno tum matutino memor sum tui.

V. 8*b*. Sens.: sub tuo praesidio jubilare possum. *velamentum alarum* indicat protectionem et praesidium.

V. 9. Sens.: anima mea totis viribus tibi adhaeret, quia potenti auxilio tuo me protegis et conservas.

V. 10. Sens.: adversarii frustra conantur me occidere; potius ipsi in orcum detrudentur. *inferiora terrae*=infernus, orcus.

V. 11. Sens.: adversarii mei occidentur gladio eorumque corpora erunt praeda animalium rapacium. *vulpes*, in hebr.: canes aurei.

V. 12. Sens.: rex scil. David laetabitur de auxilio divino omnesque asseclae ipsius gloriabuntur, quando obstructum fuerit os adversariorum, qui iniqua mendacia contra regem proferunt. Verbum *laudabuntur* h. l. in significatione mediali sumitur.

Usus liturgicus. Ps. 62. in officio s. occurrit quolibet die ad Laudes, quae tempore matutino recitandae sunt. Sacerdos et clericus statim postquam evigilavit cogitationes et intentionem animae ad Deum dirigere et desiderium sanctuarii Dei in se excitare debet

(v. 2. 3.); deinde propositum concipere debet Deum laudandi eique adhaerendi per totam diem (v. 4. 5.); tunc anima ejus pinguibus gratiis et bonis, Domini replebitur (v. 6.), tunc non est, cur timeat adversarios salutis suae, nam Deo adjuvante eos omnes superabit et in Domino laetari potest (v. 8-12.).

Psalmus LXVII.

Occasio histor. Ps. 67. sine dubio occasione translationis arcae foederis in montem Sion compositus est, nam iisdem verbis incipit, quibus Moyses in itinere per desertum usus est, quum arca elevaretur Num. 10, 35. Multi psalmum referunt ad primam translationem arcae e domo Obededomi in tabernaculum a Davide in monte Sion erectum (cf. ps. 23). Alii autem putant, posteriorem aliquam translationem arcae huic psalmo componendo ansam dedisse scil. quum arca de monte Sion in castra transportata post insignem victoriam de adversariis iterum transferretur in montem Sion. S. Paulus Eph. 4, 8. verba v. 9. hujus ps. refert ad ascensionem Christi in coelum seu ad ejus ingressum solemnem in sanctuarium coeleste, cujus typus erat translatio arcae in montem Sion. Cf. etiam lect. 3. in III. Noct. in Communi Evangelistarum.

Argumentum. In I. parte v. 2-7. psalmista Deum precatur, ut dissipet adversarios theocratiae justis autem cultoribus suis bona sua elargiatur eosque invitat ad Deum laudandum praesertim occasione translationis sanctuarii; in II. p. v. 8-15. ex historia populi Israelitici inde ab exitu ex Aegypto usque ad occupationem terrae promissae demonstrat Dei potentiam et bonitatem erga populum electum; in III. p. v. 16-19. Deum celebrat, quia montem Sion dignum habuit, in quo sedem suam collocaret; in IV. p. v. 20-24. psalmista praedicit, Deum semper salvaturum esse populum suum adversarios autem ad internecionem usque debellaturum; in V. p. v. 25-28. describit solemnem ingressum Dei in sanctuarium suum i. e. solemnem translationem arcae in montem Sion; in VI. p. v. 29-36. praedicit, Deum ex sanctuario suo in monte Sion potentiam suam efficaciter ostensurum omnesque populos et reges Deum verum esse reverituros, ac demum omnes reges et populos adhortatur ut Deum populi Israelitici colant et celebrent.

Notandum est, hoc carmen elegantissimum difficile esse explicatu tum ob duram et hincinde minus accuratam versionem tum

ob corruptionem ipsius textus originalis; ideo ps. 67. juremerito crux interpretum dici potest.

Annotationes. V. 1. *psalmus cantici; psalmus* est species, *canticum* genus. *ipsi David*=ab ipso Davide cf. ps. 15, 1.

V. 3. *deficit*=evanescit. *a facie ignis*=per efficaciam ignis. *a facie Dei*=per potentiam Dei.

V. 4. *epulentur*=laetentur.

V. 5. *iter facite ei*=viam parate ei. *super occasum;* in hebr. est: per desertum. Alluditur ad columnam ignis et nubis, quae populum Israeliticum in deserto praecedebat. *turbabuntur a facie ejus* (in hebr. deest)=adversarii per potentiam Dei in fugam conjicientur; juxta alios: a praesentia Dei justi laetam excitationem sentient.

V. 6. Sens.: Deus praesens in sanctuario suo est pater et protector omnium, qui debiles et oppressi sunt.

V. 7*a*. Sens.: Deus homines unanimes in domo sua commorari sinit i. e. speciali cura protegit.

V. 7*b*. *qui educit vinctos in fortitudine*=qui captivos ex vinculis educit ad libertatem et fortitudinem.

V. 7*c*. *qui exasperant* scil. Deum. *qui habitant in sepulchris*= qui superstitioni dediti sunt. Sens. v. 7*c*. juxta Vulg.: Deus etiam eos ad prosperitatem ducit, qui eum antea superstitione sua exasperaverunt, postquam conversi fuerint. In t. hebr. v. 7*c*. ita sonat: refractarii manere debent in loco deserto. Sens. totius v. 7. juxta t. hebr. hic esse videtur: Deus homines unanimes et obedientes ex servitute (Aegypti) ad libertatem et potentiam eduxit, refractarii autem in deserto mori debuerunt.

V. 8. Allusio ad exitum populi Israelitici de Aegypto et ad iter per desertum duce Deo.

V. 9. *distillaverunt* scil. aquas. *a facie Dei Sinai*=in praesentia Dei, qui in monte Sinai se manifestavit.

V. 10. *pluviam voluntariam*=pluviam gratiosam scil. Manna, quod Deus ex speciali gratia de coelo elargitus est cf. Ex. 16, 4. *segregabis* (fut. pro praeter.)=praestitisti. *hereditati tuae*=populo tuo. *et infirmata est*=postquam infirmata est scil. hereditas i. e. populus Israeliticus.

V. 11*a*. *animalia tua*=coturnices, quas Deus populo Israelitico in deserto misit. *habitabunt* (in hebr. futur.) *in ea*=sese demiserunt ad eam scil. hereditatem i. e. populum Israeliticum.

V. 11*b*. Sens.: populo pauperi in tua benignitate cibum parasti.

V. 12. Sens.: Deus illis inspiravit verba, qui voce forti bonum nuntum afferebant. Juxta t. hebr. v. 12. ita sonat: Deus fecit, ut cantus festivus audiretur, et nuntiarum victoriae magnus erat numerus.

V. 13. Sens.: Dominus exercituum est rex populi dilecti (Israel) et elargitur spolia domui amabili i. e. populo Israelitico. Text. hebr. ita sonat: reges cum exercitibus fugiunt et matrona (domina domus) distribuit praedam.

V. 14. Sens.: si requiescitis in medio possessionum vestrarum, tunc estis sicut columbae, quarum pennae in splendore solis rutilant veluti aurum et argentum. *cleros*=portiones terrae promissae. *posteriora dorsi*=pennae posteriores.

V. 15. Sens.: dum Deus principes et reges populi sui monet, candidiores fiunt nive in monte Selmon. Text. originalis probabiliter ita sonat: cum Omnipotens dispergeret reges in ea sicut floccos nivis in Selmon=Quum Deus reges alienos in hereditate sua (in terra promissa) dispergeret sicut floccos etc. *discernit*=erudit seu monet. *coelestis.*=Deus. *super eam*=hereditatem Dei i. e. popul. Israel.

V. 16. *mons Dei*=Sion. *pinguis*=benedictus, abundans bonis. *coagulatus*=pinguis.

V. 17*a*. *suspicamini* scil. cum invidia. *montes coagulatos* i. e. Sion et Sinai.

V. 17*bc*. Sens.: mons Sion est ille mons, in quo Deo placet habitare in sempiternum. *in eo* referri debet ad v. 17*c*. *in finem*=in sempiternum. In t. hebr. v. 16. et 17. ita sonant: montes Basanitici sunt montes Dei, cacuminosi sunt montes Basanitidis. Cur invidiose observatis, o montes cacuminosi, montem quem elegit Deus sibi in habitationem? imo Dominus habitabit in eo in sempiternum.

V. 18. Sens.: pompa solemnis (processio), qua arca Dei transfertur, numerosissima est et multa millia laetantium complectitur; Dominus inter eos est, sicut in Sinai ita et in sanctuario cf. Deut. 33, 2.

V. 19. Sens.: ascendis in montem Sion et homines captivos tamquam dona accipis, etiam tales, qui non credunt, Deum in sanctuario esse praesentem. David nempe nonnullos in bello captos destinavit uti servos inferiores in sanctuario. Alii vocabulo *in altum* intelligunt coelum et sub *donis in hominibus* proselytos. Apostol. Paulus Eph. 4, 8. haec verba in sensu typico ad ascensionem Christi refert, qui captivos in limbo Patrum secum duxit ad sanctuarium coeleste, quo Deo servirent in aeternum.

V. 20. Sens.: benedictus sit Dominus per singulos dies; Deus salvator noster prosperum iter parabit nobis. *die quotidie*=per singulos dies.

V. 21. Sens.: Deus est salvator noster, in ipsius manu est evasio seu effugium a morte (in manu Dei est vita et mors).

V. 22. *verumtamen*=certe. *verticem capilli*=verticem capillatum.

V. 23. Sens.: planitiem Basaniticam convertam in mare sanguinis. T. hebr. habet: ex Basan reducam eos, reducam eos ex profunditate maris. Haec verba ex antiquo cantico desumpta esse videntur. Nonnulli etiam textum graec. et latinum eodem modo explicant, sicut textum hebr., scil.: *convertam (ἐπιστρέψω)*=convertere faciam, reducam; *in profundum maris*=*qui sunt in profundo maris (ἐν βυθοῖς).*

V. 24. Sens.: ut intingatur pes tuus et lingua canum tuorum in sanguine inimicorum. *ab ipso*=a sanguine.

V. 25. Sens.: conspiciunt ingressum Dei in sanctuarium suum.

V. 26. Sens.: in hac pompa selemni primo loco incedunt principes cantorum simul cum citharoedis in medio virginum tympana pulsantium cf. Ex. 15, 20.

V. 27. Sens.: celebrate Deum in congregationibus vestris omnes qui estis ex populo Israelitico. *de fontibus*=de stirpe cf. Is. 48, 1.

V. 28. *ibi*=in illa pompa. *Benjamin*=posteri Benjamini. *adolescentulus*=filius Jacobi natu minimus. *in mentis excessu*=obstupefactus, admirabundus (in hebr.: ordinator eorum). *duces eorum* scil. Israelitarum (in hebr.: densum est agmen eorum).

V. 29. *manda virtuti tuae*=ostende potentiam tuam.

V. 30. Phrasis *a templo tuo* cum v. 29. conjungi debet.

V. 31*a*. *increpa feras arundinis*=castiga Aegyptios. *ferae arundinis* sunt crocodili, qui symbolice Aegyptios designant.

V. 31*b*. Sens.: principes cum populis conveniunt, ut eos qui probati sunt sicut argentum i. e. Israelitas rejiciant. Juxta alios sens. esset: principes etc. ut eos qui multo argento pacem mercari volunt (Israelitas) repellant. *tauri*=principes. *vaccae* (in hebr.: vituli)=populi.

V. 32. Connexus inter v. 31. et 32. hic est: castiga adversarios populi electi praesertim Aegyptios, ut ad agnitionem dominii tui adducantur. *venient legati (in hebr.: magnates seu proceres*

magno comitatu stipati) ex Aegypto scil. cum muneribus vero Deo offerendis. *praeveniet manus ejus Deo*=celeriter manus suas ad Deum extendet=Deum adorabit eique se subjiciet.

V. 34. *ad orientem*=ad coelum, quod est ab oriente seu ab origine mundi (in hebr.: coelum, quod est ab initio seu coelum antiquissimum). *dabit voci suae vocem virtutis*=vocem fortissimam edit.

V. 35. Vox: *super Israel* conjungi debet cum voce: *magnificentia ejus.* Sens.: celebrate Deum, qui in gubernando populo Israel. et in regendo toto orbe magnificentiam et potentiam suam ostendit.

V. 36. *in sanctis s.*=in sanctuario suo. *dabit*=dat.

Usus liturgicus. Ps. 67. vel totus vel ex parte recitatur: 1) in missa festi ascensionis Domini (ascensio arcae foederis in montem Sion est typus ascensionis Christi ad Sionem coelestem); 2) in festo Pentecostes (Chr. ex altitudine Sionis coelestis misit Spiritum s., cujus operatione conversio populorum ad verum Deum efficitur cf. v. 19. 30-33); 3) in consecratione et reconciliatione ecclesiae (nam sicut Deus in monte Sion habitationem suam posuit, ita etiam in unaquaque ecclesia christiana tabernaculum suum ponit).

Psalmus LXVIII.

Auctor et occasio histor. Auctor hujus ps. juxta inscriptionem est David, qui eum probabiliter occasione persecutionis Saulicae composuit; sed vv. 33-37. verosimiliter ab alio auctore vel collectore psalmorum tempore exilii babylonici appendicis instar adjecti sunt, quod ex argumento elucere videtur.

Argumentum. In I. parte v. 2-19. psaltes in extremis angustiis constitutus et Dei causa injuriam patiens de multis et magnis adversitatibus, quas sustinere debet, amare conqueritur atque enixis precibus auxilium divinum petit; in II. p. v. 20-32. repetita descriptione miseriae suae adversariis poenam divinam imprecatur et praedicit atque in fine spem exauditionis et propositum gratiarum actionis enuntiat; demum auctor appendicis v. 33-37. populares suos adhortatur, ut confugiant ad Deum, deinde spem liberationis et restitutionis theocratiae exprimit.

Sensus Messian. Hunc ps. aliquo modo ad Messiam esse referendum, probatur: 1) ex pluribus locis N. T. scil. Mat. 27, 34. 48. Joan. 2, 17. 15, 25. 19, 28. Act. 1, 20. Rom. 11, 9. 15, 3.,

ubi verba hujus ps. allegantur et ad Christum ejusque passionem referuntur; 2) ex verbis ss. Patrum; e. gr. s. Cyrillus Alexandr. (commentar. in Joannem l. 12. c. 35) ait: *non est possibile mentiri Scripturam, in qua ex persona Christi dicitur: et dederunt in escam meam fel et in siti meo potaverunt me aceto* (v. 22.). Nonnulli putant, ps. nostrum esse directe Messianicum, alii autem contendunt, eum tantum in sensu typico ad Messiam esse referendum. Haec sententia praeferenda est; scil. verba psalmi sensu proximo et imperfecto sumpta in Davide persecutionibus agitato, sensu pleno autem et perfecto in Christo patiente adimpleta sunt.

Nota. Ps. noster ex parte etiam ad psalmos imprecatorios pertinet (cf. vv. 23-29), in quibus vindicta divina contra inimicos justitiae et ordinis theocratici expostulatur. Rationalistae contendunt, psalmos imprecatorios legi Christi, quae est lex amoris, repugnare ideoque ex nova ecclesia esse removendos. Sed ecclesia catholica eos in usum liturgicum recepit, ergo certe non sunt contrarii spiritui christiano; imo similes imprecationes etiam in libris N. T. occurrunt (cf. Mat. 23, 13 sqq. Act. 8, 20. II. Tim. 4, 14). Sane nemo dubitat, quin contra diabolum et obstinatos ecclesiae adversarios poenam divinam expostulare liceat. Quod in specie nostrum psalmum attinet, adversarii psalmistae simul sunt adversarii theocratiae resp. ecclesiae et David h. l. utpote typus Christi quodammodo ex persona Christi loquitur, cui certe licet castigationem impiorum desiderare et etiam infligere. Caeterum saepe in istis psalmis *quae execrationes esse videntur, specie execrationis sunt vaticinia.*

Annotationes ad singulos versus. V. 1. *pro iis qui commutabuntur*=qui convertuntur; in t. hebr. est: *secundum lilia*=ad modum cantici, quod titulum habet: *lilia.*

V. 2. *aquae* scil. tribulationis et passionis.

V. 3. *in limo profundi*=in profunda tribulatione. *substantia* =locus subsistendi. *in altitudinem maris*=in medium periculum. *tempestas*=tribulatio magna. Imagines in v. 2. et 3. desumptae sunt a naufrago.

V. 4. *laboravi*=fatigatus sum. *defecerunt*=contabuerunt seu debilitati sunt.

V. 5. Cf. Joan. 15, 25. *quae non rapui, tunc exsolvebam*= quae non abstuli, restituere debeo; sens. est: non propter meam sed propter aliorum culpam pati debeo. Quod bene ad Christum referri potest, qui pro peccatis aliorum poenam luere debuit (cf. II. Cor. 5, 21).

V. 6. *insipientia*=peccatum, quod maxima stultitia est.

V. 7. *in me*=propter me. *qui exspectant te*=qui sperant in te.

V. 8. et 9. Sens.: Tua causa opprobria et contumelias sustinere debeo atque ipsi propinqui et consanguinei mei me derelinquunt.

V. 10. Sens.: ita tibi addictus sum, ut opprobria in te commissa aequali modo etiam me feriant; et haec est causa, ob quam tantas adversitates pati debeo cf. Joan. 2, 17. Rom. 15, 3., ubi haec verba ad Christi zelum pro gloria divina et ad opprobria, quae ideo sustinere debuit, referuntur.

V. 11. Sens.: si jejunio me affligo, tunc adversarii me derident.

V. 12. *in parabolam*=in objectum derisionis.

V. 13. *qui sedebant in portis;* in portis urbium apud Hebraeos conventus populi et judicia habebantur. *psallebant*=cantilenas in opprobrium meum canunt.

V. 14. Post voc. *ad te* suppl.: dirigo. Post verba: *tempus beneplaciti* suppl.: veniat. *in multitudine misericordiae tuae*=propter infinitam misericordiam tuam. *in veritate salutis tuae*=propter fidum auxilium tuum, seu: propter fidelitatem, qua salutem et auxilium praestas.

V. 15. et 16. eaedem imagines recurrunt sicut in v. 2. et 3. *neque urgeat super me puteus os suum*=neve barathrum (sepulchrum) deglutiat me.

V. 20. *reverentiam*=ignominiam. V. 21*a*. ad hunc v. pertinet. *in conspectu tuo sunt*= tibi noti sunt.

V. 21*bc*. *improperium expectavit cor m.*=cor meum paratum est ad improperium sustinendum. *sustinui*=exspecto. Pro praeterito praesens poni debet.

V. 22. De Davide haec verba in sensu metaphorico, de Christo in sensu proprio valent (cf. Mat. 27, 48).

V. 23. *in retributiones*=in poenam. *in scandalum*=in ruinam (cf. Rom. 11, 9).

V. 25. *furor irae*=ardens ira.

V. 26. Haec verba Apostolus Petrus Act. 1, 20. proxime refert ad Judam proditorem, sed in sensu latiore ad omnes Judaeos, qui Christum persecuti sunt, referri possunt. Cf. excidium Hierosolymae per Romanos.

V. 27. *super dolorem vulnerum m. addiderunt*=dolorem vulnerum meorum adhuc augent.

V. 28. *iniquitas* prima vice=poena, secunda vice=peccatum.

non intrent in justitiam tuam=ne justifica eos; h. l. ea justitia intelligitur, quae justum facit.

V. 28. *deleantur de libro viventium*=excludantur a regno Dei (vel coelesti vel terrestri). In libro vitae tantum justi et vocati ad regnum Dei inscripti sunt cf. ps. 138, 16. Dan. 12, 1. Apoc. 22, 19. *cum justis*=inter justos.

V. 30. *salus tua suscepit me*=auxilium t. protegit me.

V. 31. *in laude*=cum cantico laudis seu gratiarum actionis.

V. 32. Sens.: tale canticum laudis Deo magis placebit, quam oblatio vituli tantum externo modo facta.

V. 33. *quaerite Deum et vivet anima vestra*=si quaeritis auxilium Dei, tunc vitam vestram servabit.

V. 34. *exaudivit pauperes*=exaudit afflictos. *vinctos suos non despexit*=Deus eos, qui ipso permittente in captivitate constituti sunt, non spernit.

V. 36. H. l. exprimitur spes reditus atque reaedificationis Hierosolymae et reliquarum urbium in regno Juda. *hereditate* i. e. jure legitimo hereditatis.

Usus liturg. Ps. 68. propter significationem typicam vel partim vel totus recitatur: 1) feria V. in coena Domini ad Matutin.; 2) in missa de oratione Domini in monte Oliveti, de lancea, clavis et sindone Domini; 3) in missa votiva de passione Domini; 4) in missa Dominicae Palmarum. Psalmus noster occurrit etiam in officio fer. V. ad Matut.; hac occasione psalmum recitantes auxilium et poenam divinam contra inimicos ecclesiae obstinatos petimus.

Psalmus LXXI.

Auctor. In vers. 70 et Vulg. est inscriptio: *in Salomonem;* ideo plurimi ss. Patres et theologi antiquiores putaverunt, hunc ps. a Davide esse compositum, qui modo prophetico Salomonem ejusque regnum vel potius Christum alterum Salomonem ejusque ecclesiam celebraverit. Attamen inscriptio hebr. juxta analogiam aliorum psalmorum potius verti debet: **a** Salomone. Ideo probabiliter **non** Salomon subjectum psalmi est sed Messias, quem Salomon cantico suo celebrat.

Argumentum et divisio. Ps. 71. ex inscriptione, ex tribus partibus et ex duplici appendice constat. In inscript. v. 1. auctor indicatur; in I. parte v. 2-7. describitur munus Messiae judiciale

et hujus muneris fructus scil. justitia et pax universalis; in II. p. v. 8-11. praedicitur, regnum Messianicum futurum esse universale i. e. omnes terras omnesque gentes complectens; in III. p. v. 12-17. celebratur Messiae benignitas et humanitas erga pauperes eorumque gratitudo erga Messiam, porro describitur status laetissimus et civium multitudo in regno Messian., demum praedicitur Messiam futurum esse in benedictionem omnium gentium. In I. appendice v. 18-19. habetur doxologia librum II. psalmorum claudens; in II. appendice v. 20. est subscriptio ad antiquiorem collectionem psalmorum.

Sensus Messianicus. Hunc ps. agere de Messia ejusque regno probatur: 1) ex traditione Judaeorum; etenim Paraphrasis chaldaica v. 2*a*. ita vertit: *Deus judicium tuum da regi Messiae.* Etiam Talmud et Rabbini celebriores nostrum ps. ad Messiam referunt. 2) Ex sententia unanimi ss. Patrum; e. gr. s. Justinus M. (dial. c. Tryph. n. 34) ostendit, nostrum ps. a Judaeis immerito ad Salomonem referri, quum in eo de rege aeterno nempe de Christo agatur et nihil in toto ps. Salomoni conveniat. S. Augustinus (de civit. Dei l. 17. c. 8) ad rem ita loquitur: *Psalmus etiam 71. titulo nominis ejus (Salomonis) scriptus est; in quo tam multa dicuntur, quae omnino ei convenire non possunt, Domino autem Christo aptissima perspicuitate conveniunt: ut evidenter appareat, quod in illo figura qualiscunque adumbrata sit, in isto autem ipsa veritas praesentata. Notum est enim, quibus terminis regnum conclusum fuerit Salomonis, et tamen in eo ps. legitur, ut alia taceam: dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae: quod in Christo videmus impleri.* Simili modo loquuntur etiam Theodoretus, s. Chrysostomus, Eusebius et multi alii. 3) Ex locis parallelis certe Messianicis; cf. v. 17. cum Gen. 12, 3. 22, 18.; v. 8. cum Zach. 9, 10. Etiam psalmi Messianici 2. et 109. apertam similitudinem cum nostro ps. prae se ferunt. 4) Ex ipsis verbis psalmi; sic e. gr. vv. 5. 7. 8-11. ad nullum alium regem quam ad Messiam referri possunt; nam solum regnum Messian. est universale et aeternum. Ex istis argumentis patet, psalmum nostrum certe ad Messiam esse referendum; sed disputari potest, utrum in directo an typico sensu Messianicus sit. In priori suppositione **Christus** esset subjectum directum psalmi, in posteriore tantum indirectum seu typicum, **Salomon** autem directum, qui utpote princeps pacificus typum Christi gessit. Sed prior sententia praeferenda est.

Annotationes. V. *2a*. Sens.: potestatem judicandi **divinam** committe regi Messiae cf. Is. 42, 1-3. Joan. 5, 22. *filio regis* scil. regis David cf. Mat. 22, 42.

V. *2b*. *judicare*=ut judicet. *in judicio*=modo justo.

V. 3. Sens.: ubique locorum pax et justitia apparebunt uti fructus operationis judicialis Messiae. *suscipiant*=suscipient. *montes et colles*=orbis terrae.

V. 4. Sens.: non permittet, ut pauperes opprimantur, sed jus eis procurabit eosque contra injustos oppressores defendet cf. Is. 11, 4. 35, 4. *calumniatorem*, in hebr.: oppressorem.

V. 5. Sens.: rex Messias permanebit, quamdiu sol et luna erunt i. e. in saecula saeculorum. *ante lunam*=coram luna. *in generat. et generat.*=per omnes generationes seu aetates.

V. 6. Sens.: sicut pluvia recreat et foecundat pratum detonsum, ita Messias de coelo descendens homines peccatis et miseriis onustos reficit aptosque reddit ad fructus justitiae ferendos cf. Is. 45, 8. *stillicidia stillantia*=stillae pluviae leniter cadentes. *vellus* =pratum demessum.

V. 7. Sens.: toto tempore Messianico florebit justitia et pax usque od consummationem saeculorum.

V. 8. Sens.: regnum Messiae ad omnes terrae plagas seu super totum orbem terrarum propagabitur. *a flumine*=ab Euphrate cf. Is. 7, 20.

V. 9. Sens.: etiam gentes longinquae et feroces regi Messiae humillimum obsequium praestabunt cf. Is. 49, 23. *Aethiopes*, hebr.: habitatores deserti. *terram (pulverem) lingent*=usque ad terram se prosternent.

V. 10. *Tharsis*, probab.=Tartessus in Hispania. *insulae*=incolae insularum et generatim regionum maritimarum. *reges Arabum*, in hebr.: reges Sabaeae (in Arabia felici). *Saba*=Meroë in Aethiopia. In vv. 9. et 10. diversae gentes ex diversis terrae regionibus per synecdochen pro omnibus gentibus nominantur. Complementum hujus prophetiae incepit, quando Magi ex Oriente Christo neonato regi Judaeorum dona afferebant.

V. 11. Idem quod in vv. 9. et 10. per partes h. l. in cumulo enuntiatur.

V. 12. Vv. 12 sqq. causae indicantur, ob quas omnes gentes regi Messiae adhaerere debeant. *a potente*=a praepotente. In sensu spirituali sub isto *potente*, a quo Christus nos liberavit, potest intelligi **diabolus**.

V. 14. *ex usuris*=ex oppressione (synecd.: species pro genere).

V. 15. Sens.: rex Messias feliciter et in aeternum vivet, dona pretiosa ab hominibus accipiet atque objectum continuae venerationis et laudis erit. *vivet* emphatice dictum est. *de ipso*=ipsum; juxta alios=orabunt ipsius causa.

V. 16. Sens.: in regno Messiae abundantia bonorum et magna multitudo civium erit. *firmamentum* suppl.: panis i. e. sustentaculum vitae cf. ps. 104, 16 (robur panis) Is. 3, 1.; in t. hebr.: abundantia frumenti. *superextolletur super Libanum fructus ejus* =fructus ejus (Messiae, juxta alios: terrae) copiosissimus erit. *Libanus* id indicat quod est maximum et omnia reliqua superans. *florebunt de civitate* (in hebr.: cives in urbibus)=cives in regno Messiae prosperabuntur et multiplicabuntur.

V. 17. *ante solem*=quamdiu sol erit. *in ipso*=per Messiam cf. Gen. 22, 18. 26, 4.

V. 18. et 19. Sens.: Deus populi Israelitici est solus Deus verus et omnipotens, ideo in omni loco, ab omni populo et omni tempore laudandus et celebrandus est.

V. 20. Haec verba transsumpta sunt ex antiquiore collectione psalmorum et non amplius valent de nostra praesenti collectione. *defecerunt*=desinunt. *laudes*=psalmi. *Jesse*=Isai.

Usus liturg. Ps. 71. in officio ecclesiastico occurrit: 1) in festo nativitatis D. N. I. Chr. (rex pacis et justitiae, qui in uterum B. V. Mariae descendit sicut pluvia in vellus cf. antiph. in vigil. nativit. Domini et in festo circumcisionis Domini); 2) in festo Epiphaniae (cf. vv. 9-11); 3) in festo ss. cordis Jesu (quod amore suo miseros et pauperes complectitur cf. v. 4. 12-14); 4) in festo ss. Trinitatis (cf. triplex doxologia in vv. 18. et 19); 5) feria V. in coena Domini (initium passionis, qua Christus *potentem* i. e. diabolum devicit et animas pauperum salvas fecit cf. v. 12-14).

Psalmus LXXII.

Argumentum. Hic ps. est species quaedam theodiceae; nam pertractatur quaestio, quomodo prosperitas impiorum et calamitas justorum in his terris cum justitia Dei conciliari possit, ideo argumentum simile est sicut in ps. 48. Jam ab initio (v. 1.) praevio modo summa, quae ex tota disquisitione sequitur, indicatur scil. effertur begnitas et providentia Dei erga justos; deinde in I. parte

v. 2-15. auctor s. enarrat, parum defuisse, ut ipse considerans felicitatem impiorum et miseriam justorum de providentia et justitia Dei dubitaret et studium pietatis irritum haberet; in II. p. v. 16-28. edicit, ipsius fidem in divinam justitiam et providentiam iterum confirmatam fuisse, quum attenderet ad finem impiorum et ad specialem amorem, quo Deus justos prosequatur.

Annotationes. V. 1. *psalmus Asaph,* cf. ps. 49. *Israel* = o Israel (vocativ.). In t. hebr. et in vers. gr. est dativus: *τῷ Ἰσραήλ.*

V. 2. Sens.: parum defuit, ut lapsus essem in dubium de justitia divina. *moti sunt* = lapsi sunt. *effusi sunt* = vacillaverunt.

V. 3. Sens.: invidia et indignatione accensus sum, quum prosperitatem impiorum intuerer. *pacem;* vox hebr. *shalôm* non tantum pacem sed etiam prosperitatem et salutem designat.

V. 4. Sens.: impii non respiciunt ad futuram mortem et calamitates eorum non diu perdurant. Negatio ad utrumque membrum pertinet. *firmamentum* = firmitas, duratio.

V. 5. *in labore hominum non sunt* = in aerumnis aliorum hominum nullam partem habent. *cum hominibus non flagellabuntur* = non percutiuntur calamitatibus sicut ceteri homines.

V. 6. Sens.: ideo superbia inflati et iniqnitate induti sunt quasi vestimento.

V. 7. Sens.: iniquitas quasi ex pinguedine (i. e. opulentia) eorum excrescit, ambulant juxta desiderium cordis sui = iniquitas eorum crescit cum opulentia. *transire* = ambulare.

V. 8. Pro praet. praes. poni debet. *in excelso* = modo superbo.

V. 9. Sens.: os suum contra coelum movent et lingua eorum ambulat super terram = arroganter loquuntur contra coelum et terram.

V. 10. Sens.: ideo homines justi ad hanc cogitationem perveniunt: tantum inter impios invenitur vita prosperitate plena. *populus meus* = homines, ad quos ego pertineo i. e. justi. *converti hic* = se vertere ad hoc, pervenire ad hanc cogitationem. *dies pleni* scil. prosperitate; juxta al.: vita longa.

V. 11. Sens.: justi cogitant: novitne hoc Deus, num apud Excelsum est omniscientia?

V. 12, Sens.: ecce isti sunt peccatores et tamen in hoc mundo abundant divitiis.

V. 13. Sens.: ergo frustra cor meum mundum servavi et vitam innocentem egi. *justificare* = justum servare. *lavi inter innocentes manus m.* cf. ps. 25, 6.

V. 14. Sens.: quolibet die tribulationes sustinere debui. *in matutinis*=quovis mane.

V. 15. Sens.: si dico: loquar sic (uti supra a v. 10-14) tunc nationem filiorum tuorum (cultorum tuorum) desero. *reprobare*=refutare, deserere.

V. 16. Sens.: meditor, ut hoc intelligam (scil. quomodo felicitas impiorum cum justitia Dei conciliari possit), at laboriosum et difficile mihi est. *existimare* h. l.=cogitare, meditari.

V. 17. *intrare in sanctuarium Dei*=intelligere arcana divina. *intelligere in novissimis eorum*=attendere ad sortem ultimam impiorum.

V. 18. Sens.: revera etiam impiis propter eorum malitiam mandas mala, dejicis eos, dum se exaltare volunt. *dolus*=malitia. *posuisti eis*, psalt. Rom. supplet: mala; nonnulli codices vers. 70: *κακά*. *allevari*=se exaltare.

V. 19. Sens.: ex improviso venit desolatio super eos, subito deficiunt et pereunt propter peccata sua. *facti sunt in desolationem* =fiunt objectum desolationis.

V. 20. Sens.: sicut somnia nostra, postquam evigilavimus, evanescunt, ita Deus felicitatem imaginariam impiorum in civitate sua (Jerusalem) ad nihilum rediget. Phrasis *in civitate t.* juxta nonnullos est glossa serius adjecta.

V. 21-23. Sens.: etiamsi multis dubiis et tentationibus circumagebar, tamen Deum nunquam dereliqui. *inflammatum est cor meum* scil. invidia et indignatione cf. v. 3. *renes mei commutati sunt*=affectus mei in pejus mutati sunt. *nescivi*=insipiens eram. *ut jumentum factus sum apud te*=stupidus eram coram te, sicut bestia. *et ego semper tecum*=semper tibi adhaesi, vel: semper sub tua protectione eram.

V. 24. Sens.: prehendisti manum meam, consilio tuo me duxisti et cum honore me suscepisti (in hebr.: in gloriam tuam suscipies me).

V. 25. Sens.: neque in coelis neque in terra aliquid datur, quod desiderabile sit praeter te o Deus. *a te*=magis quam tu, vel =praeter te; juxta alios=sine te. *quid volui*=quid desidero.

V. 26*a*. Sens.: corpus et anima mea i. e. ego totus quasi consumor prae desiderio tui cf. ps. 83, 3.

V. 26*b*. Ab initio suppleri debet: tu es. *pars mea*, cf. ps. 15, 5.

V. 27. *qui elongant se a te*=qui te derelinquunt. *qui forni-*

cantur abs te=qui a te deficiunt. *fornicari* in sensu metaph. indicat apostasiam a vero Deo et conversionem ad idola, idolatriam, quae est fornicatio spiritualis.

V. 28. *mihi bonum est*=mea salus est. *ut annuntiem omnes praedicationes tuas*=ut praedicem laudes tuas; sed hoc membrum videtur esse glossa serius addita. *in portis filiae Sion*=in urbe Jerusalem; haec ultima verba in t. hebr. desunt.

Usus liturg. Ps. 72. in officio ecclesiastico occurrit: 1) ad Matut. in coena Domini; hac occasione verba psalmi referri possunt ad angustiam et pugnam, quam anima Christi humana in monte Oliveti sustinere debuit, donec in fine pervenerit ad plenam resignationem in voluntatem Patris. 2) Etiam in anima nostra nonnunquam angustia et pugna exoritur, si videmus, ecclesiam opprimi, justos persecutiones pati, impios autem gloriari et triumphare; tunc, quando feria V. in officio feriali hunc ps. recitamus, ex ejus verbis consolationem capiamus exclamantes: *mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam* (v. 28.).

Psalmus LXXIII.

Auctor et occasio histor. Hunc ps. juxta inscriptionem unus ex familia Asaphi composuit et quidem post destructionem urbis et combustionem templi per Chaldaeos (a. 588), prout ex argumento elucere videtur cf. IV. Reg. cap. 25. Jer. cap. 52. Sed nonnulli ss. Patres argumentum psalmi ad tempus Machabaeorum referunt (in sensu prophetico) et Franc. Xav. Patrizi (Cento Salmi tradotti dal testo ebraico e commentati, Romae 1875., p. 219) putat, psalmum praecise tempore Machabaeorum, postquam Antiochus Epiphanes templum profanavit, esse exaratum (circ. a. 168) cf. I. Mach. 1, 23-64. 2, 8. 38. 4, 38. 46. Argumentum psalmi utique etiam huic occasioni conveniret, attamen sententia communis catholicorum interpretum, collectionem psalmorum jam tempore Esdrae clausam fuisse, isti opinioni contraria est.

Argumentum. In I. p. v. 1-9. vates s. amare conqueritur de adversariis populi electi, quod sanctuarium Dei vastaverunt et profanaverunt, templum combusserunt et totum cultum Dei publicum abrogaverunt; in II. p. v. 10-17. Deum interpellat et facta mirabilia tempore antiquo in favorem populi Israelitici a Domino patrata in memoriam revocat; in III. p. v. 18-23. enixis precibus

Deum rogat, ut memor foederis cum populo suo ei succurrat atque auxilium praebeat impios autem et insolentes inimicos compescat.

Annotationes. V. 1. *intellectus*=carmen instructivum. *ut quid repulisti in finem*=quare nos rejicis in perpetuum?

V. 2. Sens.: memor esto congregationis tuae, quam acquisivisti ab initio, et populi hereditatis tuae, quam redemisti: tu qui habitas (praesens es) in monte Sion. *virga* hebr.: shebet=tribus, populus cf. Is. 63, 17. *mons* h. l. absolute ab initio ponitur, casus autem postmodum indicatur; ideo: *mons, in quo*=qui in monte.

V. 3. Sens.: ostende potentiam tuam contra insolentias inimicorum; quanta mala fecerunt contra sanctuarium! *malignari*=mala facere.

V. 4. Sens.: inimici tui gloriantur et triumphant in medio sanctuarii tui, ibique vexilla sua posuerunt (juxta alios: ritus suos introduxerunt). *solemnitas*=locus solemnitatis, sanctuarium. *signa*=vexilla, ritus; juxta nonnullos=festa cf. Ex. 31, 13. Ez. 20, 12. 20.

V. 5*a*. Sens.: non cognoscunt sanctitatem templi neque in exitu scil. in porta neque in summitate templi; juxta alios: quia non habent intelligentiam, signa sua posuerunt in summitate portae (templi).

V. 5*b*. et 6. Sens.: omnes portas templi sicut arbores in silva securibus exciderunt. *in idipsum*=simul seu ad unam omnes. *eam*=portam.

V. 7. Sens.: sanctuarium Dei incenderunt, profanaverunt et destruxerunt usque ad solum.

V. 8. *cognatio eorum simul*=tota congregatio inimicorum. *quiescere faciamus*=prohibeamus, abrogemus.

V. 9. *signa nostra non vidimus*=vexilla nostra jam omnia dejecta sunt; juxta alios: ritus seu festa nostra abrogata sunt. *non est propheta;* tempore exilii babyl. non deerant prophetae in populo Israelitico; attamen forsitan in illa regione, in qua auctor psalmi exul degebat, propheta non inveniebatur. *et nos non cognoscet amplius*=Deus nos non amplius uti suos cognoscere videtur.

V. 10. *irritat*=irridet et improperat.

V. 11. Sens.: cur subtrahis nobis protectionem tuam, cur nos omnino rejicis e sinu tuo, quo antea nos fovisti?

V. 12. Sens.: et tamen Deus est rex noster ex tempore antiquissimo et operatus est facta mirabilia ad salutem nostram in medio terrae. *ante saecula*=a tempore antiquissimo.

V. 13. Alluditur ad transitum per mare rubrum cf. Ex. 14, 22 sqq. *contribulasti*=confregisti. *draconum*=Aegyptiorum.

V. 14. *draco* h. l.=Aegyptii generatim (collective) vel potius =Pharao (draco magnus Ez. 29, 3); in hebr. est: crocodilus. *populis Aethiopum,* in hebr.: incolis deserti=animalibus deserti.

V. 15*a*. Sens.. dirupisti petram, ex qua fontes imo torrentes aquarum effluxerunt Ex. 17, 5 sqq. Num. 20, 7 sqq.

V. 15*b*. Alluditur ad exsiccationem Jordanis in transitu populi Israel. Jos. 3, 15 sqq. *fluvios Ethan* in hebr.: fluvios perennes. Interpres graec. putavit, vocem hebr. *êtan* (perennitas) esse nomen proprium.

V. 16. *auroram et solem;* in 70 est: *ἥλιον καὶ σελήνην.*

V. 17. *fecisti*=constituisti. *ea;* h. v. est pleonasm. (hebraism.).

V. 18. Pronomen *hujus* se refert ad insequentia. *incitavit*= improperat, irridet.

V. 19. *animas confitentes tibi*=cultores tuos. *in finem*=in perpetuum.

V. 20. *testamentum* =foedus. Verba: *quia repleti sunt, qui....* ita disponenda sunt: qui obscurati sunt terrae repleti sunt domibus iniquitatum. Sens.: viri tenebrarum in terra abundant domibus iniquo modo acquisitis.

V. 21. Sens.: ne rejicias a te humiles et afflictos; tunc celebrabunt laudem tuam.

V. 22. Sens.: vindica honorem tuum, ulciscere improperia ab impiis quotidie tibi illata. *judica causam tuam*=age, vindica causam tuam.

V. 23. Sens.: castiga impios ob contumelias tibi illatas; nam aliâs superbia et insolentia eorum continuo crescit et intumescit. *inimicorum tuorum;* in gr. est: *ἱκετῶν σοῦ*=eorum qui auxilium a te petunt. Ideo juxta vers. 70 sens. v. 23*a*. est: exaudi preces piorum, qui ad te confugiunt.

Usus liturg. Quando hunc ps. in coena Domini, in festo pretios. Sanguinis, feria V. in officio feriali vel aliis occasionibus recitamus, tunc ruinas, quas inimicus noster capitalis diabolus vel in toto genere humano vel in singulis animabus fecit, deplorare et Salvatorem nostrum rogare debemus, ut ipse vi et meritis passionis et pretiosi Sanguinis sui ruinas a diabolo factas reparare ejusque insolentiam reprimere velit.

Psalmus LXXIV.

Auctor. Ps. 74. in titulo Asapho attribuitur; utrum autem intelligendus sit Asaph pater an unus ex ejus posteris neque ex argumento neque ex aliis indiciis erui potest cf. ps. 49.

Argumentum. In introductione v. 2. psaltes nomine totius populi Deo gratias agit pro victoria auxilio divino de hostibus reportata; in I. stropha v. 3-6. Deus loquens inducitur extollens justitiam et potentiam suam atque impios admonens, ne viribus suis confisi insolenter et praepotenter agant; in II. str. v. 7-10. ipse psalmista Dei justitiam et potentiam celebrat; in conclusione v. 11. Deus promittit, se potestatem impiorum deleturum, potestatem autem justorum exaltaturum esse.

Annotationes. V. 1. *ne corrumpas*=ad melodiam cantici: *ne corrumpas (ne disperdas)* cf. ps. 56, 1. *psalmus cantici* cf. ps. 67, 1.

V. 2. *invocabimus nomen tuum*=celebrabimus te.

V. 3. Sens.: tempore opportuno ego juste et recte judico. Vox *justitias* est accusativus adverbialis.

V. 4. Sens.: terra cum incolis suis dissolveretur, nisi ego eam conservarem et confirmarem. *liquefacta est*=liquefieret seu dissolveretur (praeterit. h. l.=conjunctivus imperfecti).

V. 5. *exaltare cornu*=in propria potestate confidere et gloriari.

V. 6. *extollere in altum*=exaltare. *nolite loqui adversus Deum iniquitatem*=nolite eloqui blasphemias contra Deum.

V. 7. Suppl.: auxilium sperare potestis. *a deserti montibus;* quaenam regio hac voce intelligatur, cum certitudine erui nequit, forsitan Idumaea, quae quoad majorem partem erat regio montuosa et deserta cf. Mal. 1, 2 sqq.

V. 8. *Deus judex est*=Deus habet dominium universale; vox *judex* h. l.=gubernator, dominus.

V. 9. *calix vini meri plenus misto*=calix plenus vino sincero mixto aromatibus inebriantibus et consopientibus=calix temulentiae — imago irae et poenae divinae cf. ps. 59, 5. Is. 51, 17. Jer. 25, 15. Apoc. 14, 10. *inclinavit ex hoc in hoc*=Deus propinat ex hoc vino, quod est in hoc calice. Alii putant, *ex hoc in hoc* esse=huc, illuc. In vers. Alex. est: *ἐκ τούτου εἰς τοῦτο* scil. *ποτήριον.* S. Augustin. legit: *ex hoc in hunc.* In text. originali probabiliter legebatur: *propinat ab hoc ad illum* i. e. transit ab uno peccatore

ad alium et successive omnibus propinat (cf. Bickell. l. c. p. 51). *faex ejus non est exinanita.....*=faex vini mixti non exhauritur, donec omnes peccatores ex eo biberint=ira divina non cessat, donec omnes impii puniti fuerint.

V. 10. *annuntiabo in saeculum*, suppl.: gloriam Dei.

V. 11. *cornua*=potestas.

Psalmus LXXV.

Auctor et occasio histor. Nonnulli putant, hunc ps. ab Asapho praefecto cantorum compositum esse, quando arca Domini in montem Sion translata est, postquam David urbem Jerusalem et arcem Sion Jebusaeis eripuerat II. Reg. 5, 6 sqq. Alii e contra contendunt, psalmum tempore Ezechiae (727-698) post illam terribilem cladem exercitus Sennacheribi (704-680) regis Assyriorum, de qua IV. Reg. cap. 19. sermo fit, ab uno ex posteris Asaphi exaratum esse. Haec sententia probabilior est, quia tum ex inscriptione *(ad Assyrios)* tum ex argumento psalmi confirmatur.

Argumentum. In I. str. v. 2-4, auctor s. celebrat Deum, quia in protegendo populo Israelitico et in servanda urbe s., ubi habitaculum posuit, potentiam suam ostendit; in II. str. v. 5-7. describit cladem exitialem inimicorum theocratiae et urbis s.; in III. str. v. 8-10. praedicat omnipotentiam et justitiam Dei adversariis theocratiae interitum populo theocratico salutem afferentem; in IV. str. v. 11-13. ostendit, quod omnes homines necessario ad gloriam Dei conferre debent et adhortatur populares suos, ut gratiarum actionem Deo exhibeant.

Annotationes. V. 1. *in laudibus*=ps. pertinet ad laudatorios seu hymnos. *ad Assyrios*, in gr.: *πρὸς τὸν Ἀσσύριον*=de Assyrio. Hoc additamentum in text. masoreth. quidem deest, tamen authenticum esse videtur, quia argumento psalmi omnino convenit.

V. 2. Sens.: gloria Dei maxime apparet ex factis mirabilibus, quae ipse in regno Juda et in populo Israelitico perfecit.

V. 3. *in pace* hebr.: in Salem=Jerusalem; in urbe Jerusalem et praecise in monte Sion erat sanctuarium, in quo Deus speciali modo praesens erat uti protector populi theocratici.

V. 4. Sens.: ibi scil. in vicinia urbis s. Deus totam potentiam adversariorum ad nihilum redegit. *potentias arcuum*=arcus potentes. *bellum*=apparatum bellicum.

V. 5. Deus a montibus aeternis i. e. Sion et Moria mirabilem gloriam et splendorem suum ostendit. *aeternum* in s. Scriptura nonnunquam etiam id dicitur, quod est antiquissimum vel quod durationem longissimam et firmissimam habet.

V. 6. Sens.: impii adversarii nostri, qui in stultitia sua contra regnum theocraticum pugnaverunt, omnes mortui sunt et divitias totamque praedam suam e manibus perdiderunt. *somnum s.* = somnum mortis.

V. 7. Sens.: equites hostiles poena divina percussi inciderunt in somnum mortis.

V. 8. *ex tunc ira tua* = ex tempore, quo ira tua exardescit.

V. 9. et 10. Sens.: de coelo promulgavit Deus sententiam suam contra adversarios theocratiae, ipsi autem tremuerunt et tacere debuerunt, quum Deus se pararet ad judicium, ut h. modo fideles cultores suos salvaret. *terra* = homines impii. *mansueti terrae* = Israelitae.

V. 11. Sens.: hoc judicio divino omnes homines coguntur ad Deum laudandum et celebrandum. *quoniam* = sane, certe. *cogitatio hominis confitebitur tibi* = homines in cogitationibus suis celebrabunt te. *reliquiae cogitationis* = intimae cogitationes. *diem festum agere* = celebrare.

V. 12. Psalmista omnes populares suos adhortatur, ut Deo terribili in judiciis suis vota voveant fideliterque solvant offerentes munera. *qui in circuitu ejus* = Israelitae, qui Deo propinqui sunt.

V. 13. *et ei* = scil. ei. *qui aufert spiritum principum* = qui superbiam principum succidit. *apud reges* = regibus.

Usus liturg. Nos in N. T. hunc ps. in officio feriali recitantes eum ad specialem curam et providentiam, qua Deus ecclesiam catholicam protegit, et ad ecclesiae victoriam de omnibus adversariis jure merito referre possumus. Quia autem Christus passione et morte sua diabolum principalem ecclesiae adversarium devicit ejusque potestatem confregit, ideo ps. noster etiam feria V. et VI. majoris hebdomadis et in officio quinque plagarum Christi occurrit. Propter v. 5. praesertim *(illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis)* ps. 75. in festo transfigurationis Christi recitatur.

Psalmus LXXIX.

Occasio histor. Quonam tempore vel quanam occasione hic ps. compositus sit, non potest cum certitudine indicari; hoc autem certum est, illo tempore populum theocraticum in summa miseria et maximo periculo versatum fuisse. Additamentum in vers. Alex.: ὑπὲρ

τοῦ Ἀσσυρίου indicare videtur, incursionem hostilem Assyriorum ansam dedisse ad hunc psalmum componendum; quaenam autem expeditio Assyriorum intelligenda sit, non patet. Nonnulli intelligunt expeditionem Salmanassari (IV. Reg. cap. 17) a. 722, alii Sennacheribi (IV. Reg. cap. 18. et 19) a. 701, alii expeditionem Holofernis tempore Judith, quando rex Manasses erat in captivitate (II. Par. 33, 11) circ. a. 660. Demum sunt, qui putant, nostrum ps. generatim deplorare conditionem miserabilem populi Israelitici durante captivitate tum assyriaca tum babylonica.

Argumentum. Ps. 79. versu intercalari quater occurrente (v. 4. 8. 15. 20.) in 4 strophas dividitur. In I. str. v. 2-4. psalmista precatur Deum, ut populo theocratico in maximo periculo versanti potenti suo auxilio succurrat; in II. str. v. 5-8. amare conqueritur ob miserias et tribulationes populum opprimentes; in III. str. v. 9-15. sub allegoria vitis (vineae) describit populi Israelitici liberationem ex Aegypto, propagationem mirabilem in terra promissa, statum felicem tempore praeterito ejusq. ruinam et miseriam tempore praesenti, seu a. v. enarrat theocratiae fundationem, propagationem et persecutionem; in IV. str. v. 16-20. renovatis precibus Deum rogat, ut populum suum in pristinam conditionem et felicitatem restituat atque nomine totius populi Deo promittit sempiternam fidelitatem. Thema seu cogitatio principalis psalmi, quae in v. intercalari enuntiatur est supplex precatio populi theocratici ad obtinendam gratiam et protectionem Dei.

Sensus typicus et usus liturg. In N. T. ps. 79. a recitantibus ad ecclesiam Christi et praesertim ad continuas persecutiones, quibus illa vexatur, referri debet. Nam ecclesia est quasi vinea a Deo plantata, quae *extendit palmites suos usque ad mare et umbra sua montes operuit* (v. 11. 12.) utpote ad omnes terrae plagas propagata cf. Mat. 20, 1 sqq. Ad hanc vineam ecclesiae christianae etiam nostro tempore juremerito applicari possunt verba: *vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam, exterminavit eam aper de silva....* (v. 13 sq.) i. e. omnes eam exspoliare et opprimere conantur. Sed de his valet dictum in v. 17.: *ab increpatione vultus tui peribunt.*

Etiam quaelibet anima christiana vinea vel vitis dici potest, quam Deus per baptismum plantavit et ex tenebris Aegypti transtulit ad lucem et ecclesiam Christi, ita ut fructus bonorum operum et mirabiles progressus in virtutibus facere possit. Sed haec

vinea saepe devastatur per peccatum mortale et tunc *exterminat eam aper de silva et singularis ferus (diabolus) depascitur eam* atque *vindemiant eam (expoliant gratiis) omnes, qui praetergrediuntur.* Ideo in nostro ps. juxta sensum spiritualem deploratur conditio miserrima hominis in statu peccati mortalis et in servitute diaboli constituti.

Quod attinet usum liturgicum, totus ps. 79. recitatur feria V. ad Matutinum; singuli versus occurrunt in Missali Romano et quidem 1) tempore Adventus (v. 2-4.) 2) in festo ss. Nominis Jesu (v. 19.) 3) in festo patrocinii s. Josephi (v. 2 sqq.) 4) in missa votiva contra paganos (v. 3. 15 sq.).

Annotationes. V. 1. *qui commutabuntur*=quorum tribulatio commutabitur in salutem; in t. hebr. est: juxta (melodiam cantici) *lilia testimonii* cf. ps. 44, 1. 68, 1. *testimonium*=canticum.

V. 2. *qui regis Israel*, in hebr.: pastor Israelis. *intende*=attende, ausculta. *Joseph* h. l. totam repraesentat nationem sicut *Jacob;* nam Joseph in historia divinae salutis patri suo Jacob non subordinatur sed coordinatur. Jacobo subordinati erant filii Josephi Ephraim et Manasse utpote ab illo adoptati in filios Gen. 48, 5. *qui sedes super Cherubim*=qui praesens es super arcam foederis in medio Cheruborum. *manifestare*=manifesta potentiam tuam.

V. 3. *Ephraim, Benjamin et Manasse* filii resp. nepotes Rachelis uxoris Jacobi praedilectae per synecdochen totum populum designant scil. Ephraim et Manasse regnum Israel repraesentant, Benjamin regnum Juda. *excita*=manifesta, ostende.

V. 4. *converte nos*=restitue nos in conditionem pristinam. *ostende faciem tuam*=praebe nobis gratiam tuam.

V. 5. *virtutum*=exercituum. *super orationem*=non obstante oratione. Vox *servi tui* collective sumi debet=servorum tuorum; in t. hebr. est: populi tui.

V. 6. Ab initio suppl.: quousque. Sens.: lacrymae nobis sunt quasi cibus et potus quotidianus. *in mensura*=in mensura plena et abundanti, seu: juxta mensuram peccatorum nostrorum; in t. hebr.: in mensura triplici.

V. 9. A v. 9-17. psaltes historiam populi Israelitici describit adhibita allegoria scil. comparat populum theocraticum cum vinea seu vite. Similis allegoria saepius in s. Scriptura occurrit cf. Is. 5, 1 sqq. Jer. 2, 21. Ez. 19, 10-14. Mat. 20, 1-6. Luc. 20, 9-19. *ejecisti gentes*=populos Chananaeos ex Palaestina expulisti.

V. 10. *dux itineris fuisti*=dux populi Israelitici fuisti in itinere per desertum; in hebr. est: parasti ante eam (vitem) locum; in vers. gr.: ὡδοποίησας ἔμπροσθεν αὐτῆς.

V. 11. et 12. Psalmista figura poetica describit incrementum et propagationem populi Israelitici resp. regni theocratici ad quattuor terrae plagas. Sens. v. 11.: fines regni theocratici versus meridiem usque ad montes Arabiae, versus septentrionem usque ad Libanum extendebantur. *cedri Dei*=cedri altissimae. Sens. v. 12.: regnum theocrat. versus occidentem usque ad mare mediterraneum versus orientem usque ad Euphratem extendebatur.

V. 13. *maceria*=sepes. *vindemiant*=decerpunt.

V. 14. *exterminavit*=devastavit. *aper de silva*=*singularis ferus*=adversarius populi Israelitici insignis, forsitan rex Assyriorum vel bellidux aliquis (Holofernes?) cf. inscriptio in vers. 70: ὑπὲρ τοῦ Ἀσσυρίου.

V. 15. *convertere*=converte te ad nos. Post verbum *convertere* inseri debet: et ostende faciem tuam et salvi erimus.

V. 16. V. 15*b*. ad v. 16. trahi et v. 16*b*. omitti debet, quia probabiliter tantum ex v. 18. huc translatus est. *visita* scil. ad auxilium ferendum. *perfice*, in hebr.: protege.

V. 17*a*. Sens.: vinea est incensa igni et suffossa.

V. 17*b*. Sens.: Israelitae, si Deus gratiam ab eis averterit, peribunt; alii hoc referunt ad eorum hostes. *ab increpatione vultus tui*=propter poenam divinam.

V. 18. *Vir dexterae Dei* et *filius hominis* in sensu proximo et litterali est populus Israeliticus; in sensu typico autem Paraphrasis Chald. et ss. Patres intelligunt Messiam, qui est *filius hominis* per eminentiam (homo exemplaris) cf. Dan. 7, 13 sq. *quem confirmasti tibi*=quem elegisti tibi: in t. hebr.: quem crescere fecisti tibi.

V. 19. Sens.: tunc quando nos in pristinam conditionem restitueris, non amplius infideles erimus, sed cultum perpetuum tibi exhibebimus.

Psalmus LXXX.

Auctor et tempus compositionis. Hic ps. in titulo adscribitur Asapho; considerato argumento probabile est, nostrum ps. ab Asapho patre, celeberrimo cantore in sanctuario et quidem eo tempore, quo David cultum divinum ordinavit, compositum esse cf. ps. 49.

Argumentum. In I. str. v. 2-6. psalmista populum adhortatur ad Deum laudandum et festa Domini solemniter celebranda; in II. str. v. 7-11. populo liberationem ex servitute Aegyptiaca in memoriam revocat eumque excitat ad solum verum Deum sequendum et colendum; in III. str. v. 12-17. Deus populum increpat ob ejus inobedientiam et infidelitatem eique bona eximia promittit, si obediens et fidelis foret. A v. 8. (in t. hebr.: 7)-10 et a v. 12-15 (in t. hebr.: -17) Deus ipse loquens inducitur.

Annotationes. V. 1. *pro torcularibus;* hac phrasi probabiliter instrumentum musicum indicatur; alii ita explicant: *pro torcularibus*=pro tempore vindemiae cf. ps. 8, 1. *ipsi Asaph*=ipsius Asaphi; quod attinet significationem pronominis *ipsi* cf. ps. 15, 1.

V. 2. *exultate Deo*=laudate Deum cum exultatione.

V. 3. *sumite psalmum*=cantate psalmum. *date tympanum*=pulsate tympanum. *psalterium*=instrumentum fidium (polychordon, harpa).

V. 4. *Neomenia*=novilunium i. e. calendae seu prima dies uniuscujusque mensis, praesertim mensis septimi (tishri), quae erat dies festiva solemniter celebranda cf. Lev. 23, 23 sqq. Num. 29, 1. *buccinate tuba*=clangite buccina i. e. cornu arietis (hebr. shofar), quo festum Neomeniae annuntiabatur cf. Num. 10, 10. *in insigni die solemnitatis vestrae*=in festo Neomeniae mensis septimi; alii putant, intelligi festum Paschatis vel Tabernaculorum; nam in t. hebr. legitur: *in plenilunio*, in quo tantum duo festa modo nominata celebrabantur.

V. 5. *judicium Deo Jacob*=praeceptum seu lex Dei Jacob.

V. 6. *testimonium in Joseph posuit illud*=celebratio illius festi lege divina populo Israelitico praescripta est. *Joseph* h. l.=populus Israel. (pars pro toto) cf. ps. 79, 2. *cum exiret de terra Aegypti*=ista lex lata est, quum populus Israel. exiret ex Aegypto. *linguam, quam non noverat audivit*=in Aegypto populus Israel. linguam barbaram antea incognitam audivit (dictum per parenthesin).

V. 7. Sens.: Deus populum suum, qui in Aegypto materiam ad aedificandum necessariam (scil. lutum, lateres, paleam) cophino i. e. corbe seu sporta transportare debuit, ab hac servitute durissima liberavit cf. Ex. 1, 14. In t. hebr. jam h. v. Deus loquens inducitur.

V. 8. *in abscondito tempestatis:* nonnulli haec verba referunt ad tempestatem, qua Deus ex adyto columnae nubis et ignis Ae-

gyptios in mari rubro perdidit cf. Ex. 14, 23 sq. Alii autem putant, indicari tempestatem in monte Sinai tempore, quo Deus promulgavit decalogum cf. Ex. 19, 16. 20, 18. *apud aquam contradictionis* cf. Ex. 17, 1-7.

V. 9. Cf. Deut. 6, 3. 4. 13. *contestabor te*=adjuro te. *si*=utinam.

V. 10. *non erit*=ne sit. *in te*=apud te. *deus recens*=deus alienus recens inventus in oppositione ad Deum verum et aeternum jam antiquitus a populo adoratum cf. Ex. 20, 3. *neque adorabis*=neve adora.

V. 11. Cf. Ex. 20, 2. *dilata os tuum et implebo illud*=postula a me quaecunque bona desideras et in abundantia ea tibi praestabo. Imago desumpta est a pullis avium, qui os suum late aperiunt, ut a parentibus cibum accipiant.

V. 12. *et* h. l. est adversat.=sed. *non intendit mihi*=non attendit ad vocem et legem meam.

V. 13. Sens.: permisi, ut ambularent et operarentur juxta pravas concupiscentias suas. *ibunt*, in hebr.: ambulabant. *in adinventionibus suis*=secuti sunt cupiditates suas proprias derelicta lege divina.

V. 14. 15. Indicatur, quid Deus **fecisset**, si populus obediens fuisset; juxta textum hebr. autem indicatur, quid Deus **faceret**, si populus obediret. *pro nihilo*=sicut nihilum i. e. facillime; in vers. 70: ἐν τῷ μηδενί. *forsitan*, in vers. gr.: ἂν, h. l.=utique. *manum meam*=potentiam meam ultricem.

V. 16*a*. Sens.: inimici Domini ei se subjecerunt. *mentiri* h. l.=adulari, obsequium praestare.

V. 16*b*. Sens.: haec sors mala adversariorum Domini permanebit in aeternum. *tempus*=sors. In t. hebr. v. 16. ita sonat: inimici Domini adularentur ei, et tempus (felix) eorum (Israelitarum) esset in perpetuum.

V. 17. Cf. Ex. 3, 8. Deut. 32, 13. *adeps frumenti*=frumentum optimum seu cibus praestantissimus. *de petra melle*=melle e petra. In t. hebr. etiam hic v. conditionalis est: *cibaret eos tritico optimo et satiaret te melle e petra.*

Usus liturg. Ps. 80. ea indicat, quae in festis Domini populo Israelit. in memoriam revocabantur scil.: *a)* beneficia Dei praeterita (v. 6-8) *b)* beneficia futura (v. 15-17) *c)* officia populi (v. 9-11) *d)* neglectus officiorum ex parte populi (v. 12-13). Ideo hic ps. a

Judaeis in festis anniversariis recitabatur praesertim in Neomenia mensis septimi, qua die adhucdum in synagogis recitatur. In liturgia ecclesiae cathol. ps. noster praecipue in festo corporis Christi et in officio ss. Sacramenti occurrit et quidem ex sequentibus rationibus: 1) quia festum corporis Christi maxima exultatione et solemnitate celebrandum est (v. 2-4); 2) quia ss. Eucharistiae Sacramentum in memoriam nostrae liberationis ex servitute peccati et diaboli institutum est, sicut festa V. T. in memoriam liberationis populi Israel ex Aegypto (v. 6-8); 3) quia ss. Sacramentum pignus et testimonium est novi foederis, cujus vetus foedus solummodo typus erat (v. 9-11. cf. Mat. 26, 28); 4) quia in ss. Sacramento Deus nos cibat ex adipe frumenti et hoc cibo spirituali adimplet animam nostram omnibus bonis nosque confortat, ut in pugna contra inimicos animae nostrae victoriam reportare possimus (v. 11. 15-17).

Psalmus LXXXI.

Argumentum. Hic ps. dividi potest: *a)* in prooemium v. 1., *b)* in corpus psalmi v. 2-7., *c)* in conclusionem v. 8. In prooemio Deus introducitur judicans principes et judices terrae; corpus psalmi continet allocutionem Dei ad judices et principes, qua eos acriter reprehendit propter injustitiam, partium studium et obcoecationem eisque poenam divinam et interitum annuntiat; in conclusione psalmista Deum rogat, ut ipse se ostendat judicem universalem utpote cui dominium super omnes gentes competat.

Annotationes. V. 1. *in synagoga*=in coetu seu congregatione. *deorum; deus* h. l.=vicarius Dei i. e. judex seu princeps.

V. 2. Sens.: cur injuste judicatis in favorem impiorum? *iniquitatem*=inique; accusativ. substantivi loco adverbii ponitur. *facies peccatorum sumitis*=benevole excipitis peccatores et partium studio ducimini in favorem peccatorum.

V. 3. Sens.: causam agite miserorum et orphanorum, jus procurate afflictis et pauperibus cf. Prov. 31, 9. *justificare* h. l.= jus procurare. *humilis*=humiliatus, afflictus.

V. 5. Sens.: propter ignorantiam. obstinationem et obcoecationem judicum et principum fundamenta societatis humanae nutant et moventur. Pro praeterito praesens poni debet. Multi interpretes putant, hunc versum non continere verba Dei sed observationem psalmistae; attamen haec verba bene etiam uti observatio

intercalaris ipsius Dei considerari possunt. *non intellexerunt*=admonitiones Dei nolunt intelligere neque cordi imprimere.

V. 6. *dii*=vicarii Dei. *filii excelsi*=ministri seu vicarii Dei excelsi; juxta alios=dignitate excelsa ornati. Ex h. v. Christus argumentando a minori ad majus Judaeis demonstravit, se jure merito semetipsum *filium Dei* nominare posse Joan. 10, 33 sqq.

V. 7. *sicut homines*=sicut ceteri homines. *sicut unus de principibus*=sicut unusquisque principum. Nonnulli ss. Patres sub *uno de principibus* intelligunt principem angelorum rebellium.

V. 9. *tu hereditabis in omnibus gentibus*=omnes populi proprietas tua sunt et tu eorum dominium habes. Haec verba videntur esse allusio prophetica ad tempus Messian., quo Deus (Christus) inter omnes gentes cultores habet et theocratia universalis est non ad unicum populum restricta cf. ps. 2, 8.

Usus liturg. Sacerdos hunc ps. feria VI. ad Matutinum recitans eum ad semetipsum referre potest. Nam etiam sacerdotes quasi *dii* i. e. vicarii Dei et *filii Excelsi* sunt; ipsi qua judices in tribunali poenitentiae juste judicare neque respectu humano duci debent; ipsi pupillos et debiles de manu peccatoris, de periculo peccati eripere debent. Vae illis, si non intelligunt, si in tenebris ambulant, nam tunc labefactantur fundamenta terrae i. e. justitia et religio; tales sacerdotes judicium Dei severissimum exspectat.

Psalmus LXXXII.

Argumentum. In I. parte v. 2-9. psaltes describit consilia et conamina plurium gentium, quae viribus unitis populum Israelit. et totam theocratiam radicitus exstirpare nitebantur; in II. p. v. 10-19. Deum obsecrat, ut ipse ista gentium consilia et conamina irrita reddat atque gentes adversas ad subjectionem et sui nominis agnitionem redigat.

In N. T. hunc ps. ad adversarios ecclesiae Christi referimus, quorum humiliationem et subjectionem semper exoptare debemus. Auctor s. imprecationes contra hostes regni theocratici, quas in hoc ps. profert, non proprio nomine sed nomine ecclesiae V. T. eloquitur atque ipsius desiderium postremo refertur ad remotionem culpae non ad inflictionem poenae scil. desiderat, ut peccata removeantur, peccatores autem convertantur cf. v. 17.

Occasio histor. et auctor psalmi. In determinando tempore, quo

ps. noster compositus sit, exegetae inter se non omnino conveniunt. Juxta sententiam communiorem, quae etiam cum argumento bene congruit, ps. tempore regis Josaphat (914-889) exaratus est et quidem occasione illius belli contra Edomitas, Moabitas, Ammonitas aliasque gentes, de quo II. Paral. cap. 20. sermo fit. Praedictio et desiderium psalmistae eventu completum est cf. l. c. vv. 22 sqq. Quod attinet auctorem, ps. noster in titulo attribuitur Asapho; attamen si ps. tempore supra indicato compositus est, tunc ille Asaph non potest esse Asaph pater, sed unus ex ejus posteris probabiliter Iahasiel, qui II. Par. 20, 14 commemoratur et spiritu Domini repletus erat.

Annotationes. V. 1. *canticum psalmi* cf. ps. 67, 1.

V. 2. Hic v. est apostrophe, qua psalmista Deum excitat ad potentiam et protectionem suam ostendendam. *ne taceas neque compescaris* = ne desinas a puniendis adversariis nostris neve permittas eorum insolentias.

V. 3. Sens.: adversarii Dei tumultum belli et armorum strepitum excitant atque superbia inflati sunt.

V. 4. *super* = contra. *malignaverunt consilium* = consilium malignum inierunt. *adversus sanctos tuos* = contra fideles cultores Dei seu contra populum Deo sanctum.

V. 5. *disperdamus eos de gente* = ita eos perdamus et deleamus, ut non amplius sint gens, seu ut desinant esse proprius populus.

V. 6. *cogitaverunt unanimiter* = consilia unanimia inierunt. *simul adversum te testamentum disposuerunt* = eodem tempore contra Deum foedus junxerunt.

V. 7. *tabernacula Idumaeorum* = Idumaei (posteri Esavi), qui in tabernaculis habitabant (metonym.). *Ismaelitae* = posteri Ismaelis. *Moab* = Moabitae. *Agareni* erant populus Arabiae, qui tempore Saulis ex habitaculis suis in terra transjordanica expulsus est cf. I. Par. 5, 10.

V. 8. *Gebal* = habitatores tractus montium, qui vocatur Gebal, ad meridiem maris mortui. *Ammon* = Ammonitae. Moabitae et Ammonitae erant posteri Loth atque habitabant ad plagam orientalem et meridionalem maris mortui. *Amalek* = Amalecitae, qui habitabant in peninsula Sinaitica. Amalek erat nepos Esavi. *alienigenae* = Philisthaei.

V. 9. *etenim*, in t. hebr.: imo etiam; in t. gr.: καὶ γὰρ καί. *Assur* = Assyrii. *facti sunt* scil. Assyrii. *filiis Loth* i. e. Ammonitis et Moabitis, qui erant machinatores istius belli.

V. 10. *sicut Madian*=sicut Madianitis tempore Gedeonis cf. Jud. 7, 21-23. *Sisara* erat bellidux regis Jabin; hic a judice Barak ad torrentem Kison devictus est cf. Jud. 4, 15. 21. 24.

V. 11. *Endor*=vicus non procul distans a torrente Kison et a monte Thabor. *facti sunt ut stercus terrae*=cadavera eorum inservierunt ad stercorandam terram.

V. 12. *Oreb et Zeb* erant belliduces Madianitarum, qui ab exercitu Gedeonis occisi sunt (Jud. 7, 25). *Zebee et Salmana* erant reges (principes) Madianitarum, qui a Gedeone interfecti sunt (Jud. 8, 5-21.).

V. 13. *hereditate possideamus*=in perpetuam possessionem quasi patrimonium nostrum accipiamus. *sanctuarium Dei*, in sens. lat.=terra Canaan, quae Deo sancta erat; in sens. strictiore=urbs Hierosolyma, quae erat civitas Dei; in sens. strictissimo =templum.

V. 14. *pone illos ut rotam;* rota, quae continuo circumvolvitur, donec in praeceps ruit et confringitur, est imago inconstantiae et certae ruinae. Fere idem indicatur imagine in v. 14*b*.

V. 15. et 16. H. l. poena divina comparatur cum flamma comburente; tertium comparationis est velocitas et certa ruina. In v. 15. est protasis, in v. 16. apodosis. *montes*=arbores et frutices montium (metonym.) *in tempestate tua*=poena tua.

V. 17. cf. II. Par. 20, 29. Sens.: immitte illis mala temporalia, quibus confundantur atque ad nominis (gloriae) tui agnitionem et ad quaerenda bona spiritualia inducantur.

V. 18. et 19. Sens.: prius confundi et ad internecionem usque devinci debent, tunc demum veri Dei dominium et potentiam agnoscent. *nomen tibi Dominus*=nomen *Dominus* Deo necessario et essentialiter competit, quia dominium universale habet. *tu solus Altissimus*=tu solus es verus Deus.

Psalmus LXXXIII.

Auctor et occasio histor. Quonam tempore et a quonam praecise auctore hic ps. compositus sit, cum certitudine indicari non potest; ideo de hac re diversae sententiae exstant. Attamen considerato argumento valde probabilem esse putamus sententiam illorum, qui contendunt, nostrum ps. ab eodem auctore et ex eodem tempore derivari sicut ps. 41. Ergo juxta hanc sententiam idem Corachita,

qui psalmum 41. exaravit, etiam in nostro ps. affectus suos et simul sensus et desideria regis Davíd fugientis a filio Absalom expressit. Cf. dicta ad ps. 41.

Divisio et argumentum. Ps. 83. in tres strophas dividitur, quarum unaquaeque quattuor versibus constat et in t. hebr. voce *selâ* (pausa) clauditur. In quavis stropha occurrit beatitudinis praedicatio, in I. str. ad finem, in II. ab initio, in III. iterum ad finem. In I. str. v. 2-5. beati praedicantur illi, qui jam habitant in domo Dei, in II. str. v. 6-9. illi, qui versantur in via ad sanctuarium, in III. str. v. 10-13. illi, qui sperant, se Deo adjuvante perventuros esse ad sanctuarium. Ex argumento indicato elucet, in hoc ps. tres gradus beatitudinis distingui; I. gradus est eorum, qui jam in sanctuario commorantur, II. gradus eorum, qui ad sanctuarium peregrinantur, III. gr. eorum, qui quidem aliquamdiu a sanctuario relegati sunt, at firmam nutriunt spem, se mox illuc redituros esse. Ergo verba hujus ps. in sensu litterali referuntur ad praesentiam Dei in sanctuario V. T., in sens. allegorico ad praesentiam Dei in ecclesia N. T. (per ss. Eucharistiae Sacramentum), in sens. tropologico ad praesentiam Dei seu ad inhabitationem Spiritus s. in anima justi per gratiam sanctificantem, demum in sensu anagogico ad praesentiam et visionem Dei beatificam in sanctuario coelesti.

Relatio psalmi 83. ad ps. 41 (cum 42). Si nostrum ps. cum 41. comparamus, tunc non obstante eorum similitudine tamen considerato processu psychologico in utroque ps. sese evolvente praesertim duo puncta, in quibus differunt, invenimus nempe: 1) ps. 41. nobis exhibet animam psalmistae adhuc in gravi lucta constitutam, dum in nostro ps. anima jam reperitur imperturbata et tranquilla; 2) in ps. 41. gradatio strophica est ascendens in nostro autem ps. descendens.

Annotationes. V. 1. *pro torcularibus* = pro tempore vindemiae cf. ps. 8, 1. 80, 1; etiam Graeci habuerunt suos hymnos ἐπιληνίους.

V. 2. *tabernacula;* ponitur pluralis, quia non solum tabernaculum sed etiam aedificia contigua simul intelliguntur praesertim atrium, sicut v. 3. voce *atria* etiam tabernaculum comprehenditur.

V. 3*a*. Sens.: propter vehemens desiderium sanctuarii anima mea quasi consumitur et deliquium patitur cf. ps. 41, 2. 3.

V. 3*b*. Sens.: ego totus cum anima et corpore, cum affectibus superioribus et inferioribus ad Deum trahor. *Vivus* Deus ideo dicitur, quia ipse est vita et auctor omnis vitae cf. ps. 41, 3. 35, 10.

V. 4. Sens.: quod pro avibus nidus hoc idem pro me est altare Dei i. e. locus quietis et pacis. In sens. spirituali haec verba referri possunt ad altare N. T., ubi Christus praesens est in tabernaculo omnesque laborantes et oneratos amicissime ad se invitat. Text. hebr. ita vertitur: *etiam passer invenit domum et hirundo nidum sibi, ubi reponit pullos suos, (nempe) altaria tua....* Sens.: in deteriore conditione sum quam aves; nam eis aditus patet ad altaria tua, ita ut ibi nidulari possint, mihi autem non licet ad illa accedere. Nonnulli etiam textum Vulg. in hoc sensu explicant, scil.: passer et turtur inveniunt altaria tua tanquam domum et nidum. Si haec expositio placet, punctum ante vocem *altaria* delendum est. *virtutum*, hebr.: exercituum.

V. 6. et 7. Sens.: beatus vir, qui a Deo auxilium obtinet, ut in corde suo concipere possit propositum ascendendi per vallem lacrymarum ad locum sanctuarii, quem Deus elegit. *ascensiones;* pluralis vel repetitionem vel intensitatem indicat. *disponere* = propositum concipere. *vallis lacrymarum*, in hebr.: vallis bakâ (fletus), quod vel nomen proprium vel nomen appellativum esse potest. In sens. litterali ergo intelligitur vallis quaedam, per quam peregrinantes ad sanctuarium pergere debuerunt; in sens. spirit.: vita in hac terra miseriis plena. Forsitan ista vallis ideo vallis fletus dicitur, quia psalmista et David fugientes ab Absalom rebelli ibi multas lacrymas fuderunt. *in loco* = in locum; in vers. Alex.: *εἰς τόπον. quem posuit* = quem Deus elegit; juxta alios = ad quem peregrinans pergere sibi proposuit.

V. 8. Sens. litteral.: certe Deus peregrinantibus benedictionem dabit, ita ut in itinere fortiter progredi et demum ad locum praesentiae divinae in monte Sion pervenire possint. *legislator* = Deus lege sua peregrinationem ad sanctuarium praecipiens cf. Ex. 34, 23. In vers. s. Hieronymi pro voce *legislator* est: *doctor. benedictionem* = prosperum successum seu felix iter. *ibunt de virtute in virtutem* = quo viciniores sunt sanctuario eo majores concipiunt vires ad iter suum finiendum. *videbitur Deus deorum in Sion*, in t. heb.: *apparebunt coram Deo in Sion* = pervenient ad sanctuarium in monte Sion, ubi Deus speciali modo praesens est. Sens. spirit. v. 8.: hominibus ad patriam coelestem peregrinantibus Deus gratias praestabit, ut in omni genere virtutum proficere possint et tandem perveniant ad Sionem coelestem et ad visionem Dei beatificam.

V. 10. *Christi tui.* Christus Dei i. e. unctus a Deo in sensu

litteral. est David rex, in sensu typico autem Christus Salvator noster, mediator inter Deum et homines, cujus merita respiciens Deus nos in gratiam suam recipit et protegit. Alii, qui psalmum ad exilium babylonicum referunt, sub *christo* vel psalmistam vel totum populum intelligunt.

V. 11. *melior est dies una super millia*=unica dies in sanctuario bene peracta plus valet, quam mille alii dies transacti in rebus hujus mundi. Hoc adhuc multo magis valet, si applicatur ad sanctuarium N. T. et ad sanctuarium coeleste. Sens. v. 11*b*.: malo contemptus et minimus servus esse in sanctuario Dei quam honoratus esse in palatiis et societate peccatorum. Applicatio ad ministros sanctuarii in N. T. i. e. ad clericos et sacerdotes in promptu est. Si sacerdotes revera in domo Dei versantur i. e. si fideles et assidui sunt in ministerio s. et in lege divina tuenda, tunc a mundo abjiciuntur et contemnuntur; si autem conversantur *in tabernaculis peccatorum,* si cum inimicis ecclesiae societatem ineunt, tunc a mundo honorantur et praemiantur. Sed verus minister Dei non potest haesitare, ex toto corde cum psalmista dicere debet: *elegi abjectus esse.....* cf. Hebr. 11, 23 sqq. *in tabernaculis peccatorum;* forsitan alluditur ad tabernacula (tentoria) Absalomi rebellis, in quibus impii omnis generis congregati erant.

V. 12. *misericordiam et veritatem diligit Deus*=Deus misericors et fidelis est in promissis suis adimplendis. *gratiam et gloriam dabit D.;* sens. spirit.: Deus nobis in hac vita gratiam suam praestat, ut ad gloriam coelestem pervenire possimus.

V. 13. *bonis*=gratia et gloria, de quibus v. 12. sermo est.

Usus liturg. Ps. 83. propter sensum spiritualem recitatur: 1) in praeparatione sacerdotis ad missam, 2) in festo corporis Christi et in officio ss. Sacramenti, 3) in festo ss. cordis Jesu, 4) in festo transfigurationis Christi (cf. v. 2. et 5. cum Mat. 17, 4), 5) in festo dedicationis ecclesiae, 6) in consecratione ecclesiae et altaris (v. 3. 4), 7) feria VI. ad Matutin.

Psalmus LXXXIV.

Argumentum. In I. parte v. 2-4. psalmista enarrat, Deum liberavisse populum Israel. ex exilio, peccata ejus remisisse et a poenis infligendis cessavisse (narratio); in II. p. v. 5-8. ulteriorem misericordiam et gratiam Dei deprecatur (precatio); in III. p. v. 9-14.

firmam fiduciam de obtinenda salute et benedictione pro toto populo enuntiat (exspectatio). Nonnulli putant, nostrum ps. e duobus esse compositum, quia I. pars a tempore postexilico, II. p. autem a tempore exilico derivari videtur; sed si ps. rite explicatur, tunc omnis difficultas evanescit.

Tempus compositionis. Interpretes inter se non conveniunt, cuinam tempori hic ps. attribuendus sit. Nonnulli eum tempori praeexilico demandant; isti praeteritum in vv. 2-4. uti perfectum confidentiae explicare debent. Sed sententia probabilior est, psalmum paullo post primum reditum de exilio babylonico (a. 535) compositum esse cf. Esd. cap. 1 sqq. Tunc temporis aliqua quidem pars populi (circ. 42,000) ex exilio reversa erat, at longe major pars adhuc in alienis regionibus versabatur; imo etiam illa pars Judaeorum in patriam reversa multas tribulationes et persecutionis pati debuit. Ideo explicari possunt preces supplices psalmistae in II. parte, postquam in I. p. liberationem de exilio narravit.

Sensus Messian. Hunc ps. aliquo modo ad Messiam et ad tempus Messianicum esse referendum, probatur: 1) ex allusionibus in N. T., cf. e. gr. Joan. 1, 14. cum v. 10. nostri ps.; 2) ex sententia ss. Patrum, e. gr. s. Leo M. in serm. 3. de nativitate Domini allegans v. 12. dicit: *in hac nativitate Christi secundum prophetiam (David) veritas de terra orta est et justitia de coelo prospexit;* 3) ex materia substrata seu ex argumento psalmi, quod juxta sensum plenum et perfectum tantum per Christum et tempore christiano verificatum est; 4) ex locis parallelis et praesertim ex similitudine nostri ps. cum II. parte Isaiae (c. 40-66), nam singulae tres strophae fere correspondent tribus sectionibus, in quas II. pars libri prophetici Isaiae dividi solet.

Annotationes. V. 2. *terram tuam*=terram promissam, Palaestinam. *avertisti captivitatem Jacob*=populum Israelit. e captivitate liberasti.

V. 3. *remisisti*, in hebr.: abstulisti seu removisti cf. Is. 40, 2. *operuisti*=removisti, uti ex parallelismo cum I. membro elucet cf. ps. 31, 1.

V. 4. *avertisti ab ira*=peccatis remissis et remotis etiam ira et poena Dei cessat, nam cessante causa cessat effectus.

V. 5. *converte nos*=restitue nos in conditionem pristinam. *salutaris noster*, in vers. s. Hieronymi: *Jesus noster;* unde elucet, s. Hieronymum nostrum ps. ad Messiam retulisse.

V. 6. Judaei statim post reditum de exilio salutem Messianicam expectabant; quum autem hujus salutis nullum adhuc vestigium conspicerent in querelas erumpebant.

V. 7. *conversus vivificabis nos*=iterum vitae novae nos restitue. *conversus*=iterum.

V. 8. *salutare tuum*=salutem, quam a te expectamus.

V. 9. *audiam, quid loquatur in me D.* His verbis psalmista sequens vaticinium introducit, quo salus et bona tempore futuro a populo Israelit. obtinenda praenuntiantur. *pacem;* hac voce summa revelationis divinae, quam psalmista obtinuit, indicatur. Nam v. hebr.: *shalôm* generatim prosperitatem et salutem significat. Et haec pax seu salus veniet *super plebem suam* i. e. super populum Israel. et *super sanctos suos* i. e. super omnes pios, qui scil. *convertuntur ad cor*=qui convertuntur ex corde ad Deum (in Psalt. Roman.: qui convertuntur ad ipsum). Non est dubitandum, pacem et salutem h. l. praenuntiatam juxta sensum plenum et perfectum esse salutem Messianicam.

V. 10. *verumtamen*=sane, certe. *timentes eum;* phrases: *timentes eum, sanctos suos, qui convertuntur ad cor* sunt synonimae iisque homines indicantur, qui ad salutem promissam recipiendam praeparati et dispositi sunt. *ut inhabitet gloria....;* praesentia Dei specialis super arcam foederis in Sancto Sanctorum a Judaeis nominabatur *inhabitatio gloriae (shechinâ),* quae habitationem Filii Dei incarnati in hac terra typice praefiguravit cf. Joan. 1, 14. Agg. 2, 8-10. Ideo sens. spiritual. v. 10 est: salus Messianica timentibus Deum propinqua est, quia gloria Dei habitabit in terra nostra.

V. 11. In t. hebr. est futurum. *misericordia*=gratia Dei peccata condonans. *veritas*=fidelitas Dei in promissis adimplendis. *justitia*=gratia justificationis seu justitia, qua Deus nos justos facit. Ubi haec justificationis gratia, ibi eo ipso etiam animae pax et salus invenitur; per Christum haec justitia et pax se invicem osculatae sunt i. e. in intimo nexu positae sunt. S. Augustinus ad hunc versum annotat: *Tunc misericordia et veritas obviaverunt sibi, cum in unam ecclesiam convenerunt gentiles et Judaei, illi per misericordiam, isti per veritatem adducti.*

V. 12. In t. hebr. est futurum. *veritas*=fidelitas Dei; juxta alios=fidelitas hominum erga Deum. *justitia*=justificationis gratia. SS. Patres sub *veritate* passim Christum intelligunt, qui justitiam Dei placavit et gratiam de coelis attulit.

V. 13. Sens. litteral. se refert ad benedictionem temporalem, sensus typicus autem ad benedictionem et salutem spiritualem per adventum Messiae, qui quia in terra nostra apparuit et qua homo terrenus est, *fructus terrae* dici potest cf. Is. 45, 8. 53, 2. ps. 71, 6. Tit. 3, 4. *etenim*=etiam.

V. 14. Sens. typicus: justitia Messiam quasi comitatur et per ipsum mirabiles faciet progressus cf. ps. 71, 2. Haec justitia tum objective (qua Deus homines justificat) tum subjective (qua complexus omnium virtutum in homine) considerari potest.

Usus liturg. Ps. 84. recitatur: 1) feria VI. ad Matutin., 2) in festo exspectationis partus B. M. V. et nativitatis Domini (cf. v. 12. et 13), 3) in festo ss. cordis Jesu (quod est sedes misericordiae et gratiae cf. v. 8. 11. 13.), 4) in praeparatione sacerdotis ad missam (cf. v. 10-13), 5) singuli versus recitantur in officio temporis Adventus (cf. v. 12. et 13) et ab initio missae post *Confiteor* (v. 7. et 8.).

Psalmus LXXXVI.

Occasio histor. Ad singulos psalmos componendos de regula aliquod factum historicum ansam dedit. Quale autem fuerit factum, quod psalmistam ad hoc canticum exarandum excitaverit, cum certitudine indicari nequit. Verumtamen considerato argumento psalmi cum aliqua probabilitate contendi potest, nostrum ps. tempore regis Ezechiae et quidem post illam terribilem cladem exercitus Assyriorum (a. 701), de qua apud Isaiam cap. 36. et 37. sermo fit, compositum esse. Psaltes s. inspiciens sanctam civitatem mirabili modo servatam prae gaudio exclamat: *fundamenta ejus in montibus s.;* et visione prophetica tempora futura intuens Sionem novam i. e. ecclesiam Christi in ejus gloria et propagatione universali carmine suo celebrat.

Argumentum. Totus ps. agit de Sione seu Hierosolyma; in I. parte v. 1-3, psalmista celebrat gloriam Sionis theocraticae; in II. p. v. 4-6. describit propagationem universalem Sionis Messianicae i. e. ecclesiae Christi; in conclusione v. 7. transit ad intuendam Sionem coelestem.

Annotationes. V. 1. *filiis Core*=ab uno ex posteris Core. *psalmus cantici* cf. ps. 47, 1. *fundamenta ejus*=fundatio Dei; *ejus* se refert ad vocem *Dominus* in v. 2; in 70 est: *αὐτοῦ. in montibus s.*

=in montibus Sion et Moria; in priore erat arx Davidica et sedes regis theocratici in posteriore templum Salomonicum i. e. locus cultus divini toti populo communis.

V. 2. *portas*=urbem. *Sion* h. l. in sens. lat. sumitur et totam urbem Hierosolym. designat. In sens. spirit. seu typico juxta s. Hieronymum portae ecclesiae christianae intelliguntur, *quibus portae inferi non praevalebunt et per quas credentium in Christum ingreditur multitudo* cf. Mat. 16, 18. *super omnia tabernacula Jacob* =magis quam ceteras civitates Israeliticas.

V. 3. *gloriosa*=vel ea quae v. 4 sq. continentur vel generatim ea omnia quae de gloria montis Sion et urbis Hierosolymae a prophetis praedicta sunt cf. Is. 2, 2 sqq.

V. 4. Deus loquens inducitur. *memor ero*=commemorabo. *Rahab*, proprie=superbus, h. l.=Aegyptus (nomen symbolicum). *scientium me*=qua talium, qui me cognoscunt. *alienigenae*=Philisthaei. *hi fuerunt illic*, in hebr.: *hi nascuntur ibi*. Sens. v. 4.: Aegyptii, Babylonii, Philisthaei, Tyrii, Aethiopes a. v. homines ex omnibus gentibus verum Deum cognoscent et filii Sionis novae erunt, seu: nova Sion patria omnium gentium erit; quod tantum de ecclesia Christi dici potest.

V. 5. *numquid Sion dicet*=nonne Sioni dicetur? In vers. gr. habetur: *μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ*=Sion dicetur mater. *dicet* et *ἐρεῖ*= dicetur (uti saepius in Vulg. et 70=man sagt, si dice) *homo et homo*=innumeri homines; nam repetitio nominis in lingua hebr. saepe numerum infinitum seu progressum in infinitum indicat, scil.: homo et homo et homo.... Sens. v. 5*a*.: in Sione nova innumeri homines spiritualiter nascentur. Sens. v. 5*b*.: si consideramus progressum et incrementum magnum Sionis, facile intelligimus eam a Deo altissimo esse fundatam. Nonnulli ss. Patres verba v. 5. ita explicant: ipse Altissimus, qui Sionem qua **Deus** fundavit, ibi natus est qua **homo**.

V. 6. Sens.: Dominus etiam in aliis scripturis ss. praenuntiat, populos et principes in nova Sione spiritualiter nascituros esse. *narrabit*=enarrat, enumerat. *populorum et principum*=de populis et principibus, seu: populos et principes. Genitivus ex translatione servili textus graeci explicatur, ubi occurrit verbum, quod genitivum regit. *horum qui fuerunt in ea*=de his, qui ibi commorantur. In t. hebr v. 6. ita sonat: *Dominus numerabit conscribens populos (dicens): hic natus est ibi.*

V. 7. Sens.: omnes habitantes in nova Sione sunt laetantes, seu: nova Sion est habitaculum omnium laetantium; quod in sensu pleno et perfecto tantum de Sione coelesti valet.

Usus liturg. Ps. 86. in officio ecclesiastico occurrit: 1) in die octava nativitatis Domini (Christus est primus homo natus in nova Sione cf. v. 5), 2) in festo Epiphaniae (Magi ex Oriente erant primi gentiles nati in nova Sione cf. v. 4), 3) in festo nominis Jesu, 4) in die consecrationis et dedicationis ecclesiae (quaelibet ecclesia particularis est particula novae Sionis, in qua innumeri nascuntur ad vitam spiritualem cf. v. 4-6), 5) in festis B. Mariae V. (Maria est mater spiritualis filiorum innumerorum cf. v. 5. juxta text. gr.), 6) feria VI. ad Matutin., qua occasione psalmum tum ad ecclesiam cathol. in his terris tum ad ecclesíam coelestem referre possumus.

Psalmus LXXXVII.

Auctor. Ps. 87. in inscriptione Emano attribuitur. Eman pertinebat ad tribum Levi, et probabiliter ad familiam Core quia in titulo praeter ipsius nomen etiam *filii Core* nominantur; tempore Davidico et Salomonico erat praefectus cantorum in sanctuario cf. I. Par. 6, 33; 16, 41; 25, 1 sqq. II. Par. 5, 12; in nonnullis locis simul cum Ethan commemoratur. I. Par. 15, 17. 19. III. Reg. 4, 31. Appositio *Ezrachita* dubiae auctoritatis esse videtur, nam in vers. Alex. legitur: „τῷ Ἰσραηλίτῃ“ (cf. ps. 88, 1); forsitan illud epitheton tantum ex conjectura additum est, quia I. Par. 2, 6. duo filii Zerach (=Ezrach) Eman et Ethan nominantur.

Argumentum. Ps. 87. elegicus est et amaras continet querelas propter extremam miseriam et summum periculum mortis, in quo auctor versabatur. Ps. in tres partes dividi potest; quaelibet pars incipit cum precatione directa ad Deum *(clamavi ad te)* deinde sequuntur rationes, quibus preces nituntur. In I. p. v. 2-10*a*. psalmista vivida descriptione calamitatum suarum Deum ad auxilium sibi ferendum commovere vult; in II. p. v. 10*b*-13. ostendit, ipsam gloriam Dei exigere, ut pii et justi diuturna vita in his terris gaudeant, quo magis Deum laudare et celebrare possint; in III. p. v. 14-19. adhuc alias rationes, ob quas auxilium divinum sperat, adducit scil.: preces suas continuas et calamitates jam inde a juventute perpessas.

Annotationes. V. 1. *canticum psalmi* cf. ps. 47, 1. *Mahaleth*; haec vox non amplius explicari potest; v. hebr. *mahalath* probabiliter instrumentum fidium designat. *ad respondendum* = ad cantandum alternantibus vocibus. Vocabulum hebr. ʿanâ, quod h. l. occurrit significat: *a)* cantare *b)* extollere vocem *c)* respondere. *intellectus* cf. ps. 31, 1.

V. 2. *Deus salutis meae* = D. salvator meus. *clamavi* = clamo.

V. 3. intret in conspectu tuo = veniat coram te. *repleta est malis anima m.* = ego plenus sum calamitatibus. *vita mea inferno appropinquavit* = propinquus sum morti.

V. 5. *in lacum* = in sepulchrum. *liber* = derelictus, separatus a reliquis hominibus cf. IV. Reg. 15, 5. cum II. Par. 26, 21; in t. hebr. habetur: inter mortuos est stratum meum. *vulnerati* = interfecti seu: mortui ex vulnere inflicto. *quorum non es memor amplius* = quos non amplius protegis. *et ipsi de manu tua repulsi sunt* = qui ab auxilio tuo exclusi sunt.

V. 7. Sens.: adversarii conantur me interficere. *posuerunt me* = volunt me ponere. *in lacu inferiori* = in sepulchro. *in tenebris* = in loco obscuro = in sepulchro.

V. 8. Sens.: castigatio tua graviter mihi incumbit et omni genere poenarum me affligis. *fluctus t.* cf. ps. 41, 8.

V. 9. *longe fecisti notos meos a me* = amici et propinqui mei te permittente me dereliquerunt. *posuerunt me abominationem sibi* = factus sum illis objectum abominationis. *traditus sum* scil. miseriae et perniciei. *non egrediebar* = non possum egredi seu: non possum evadere.

V. 10. Loco praeteriti praesens ponendum est. *prae inopia* = propter miseriam.

V. 11. *numquid mortuis facies mirabilia* = num pro mortuis miracula patrabis i. e. num mortuos modo mirabili excitabis? *medici suscitabunt* = num medici mortuos suscitare possunt? in t. hebr. est: num mortui (manes) resurgent? *et confitebuntur tibi* = ita ut isti mortui resuscitati iterum te celebrare possint. Uti per se patet, h. l. tantum de resuscitatione ad novam vitam **in his terris** sermonem esse.

V. 12. *narrabit* = celebrabit. *veritatem* = fidelitatem. *in perditione* = in loco perditionis i. e. in sepulchro seu in inferno (sens. lat.).

V. 13. Sens.: in sepulchro homines facta Dei mirabilia cognoscere et celebrare nequeunt. *in tenebris* = *in terra oblivionis* = *in sepulchro seu: post mortem.*

Nota. Relate ad conditionem hominum post mortem revelatio V. T. adhuc imperfecta erat et Hebraei generatim tristem conceptum de ea habuerunt; ideo illum locum, quo animae post mortem commorabantur (quem nos limbum Patrum vocamus) nominabant *tenebrosum, infernum, terram oblivionis* etc. Etiam nos in revelatione christiana de conditione, in qua animae justorum V. T. post mortem versatae sint, accuratam scientiam non habemus. Apostolus loquens de descensu Christi ad inferos dicit, animas illas fuisse in *carcere* II. Pet. 3, 19. Hoc utique certum est, eas ad beatitudinem coelestem ante adventum Christi non pervenisse.

V. 14. *et ego*=ego autem vel: ego ergo. *clamavi*=clamo. *oratio mea praeveniet te*=mane primo loco oratio mea ad te venit, seu: oratio ad te est prima actio mea tempore matutino.

V. 15. *utquid*=quare. *orationem meam;* in hebr. est: animam meam=me.

V. 16. *in laboribus*=calamitatibus oppressus. *exaltatus, humiliatus*=exaltatus aetate, humiliatus calamitate. Sens. v. 16.: jam in juventute mea inceperunt calamitates meae et cum aetate calamitates quoque creverunt.

V. 17. *transierunt irae tuae* cf. ps. 41, 8. *terrores tui*=castigationes et calamitates, quibus me terruisti.

V. 18. Sens.: sicut homo in alto mari immersus undique fluctibus circumdatus est, ita ego undique et continuo adversis rebus et tribulationibus oppressus sum. *tota die*=perpetuo. *simul*=omnes.

V. 19. Sens.: propter miseriam meam amici et propinqui mei dereliquerunt me. *elongasti a me*=permisisti, ut a me discederent. *a miseria*=a miseria mea, seu: propter miseriam meam.

Usus liturg. Nonnulli ss. Patres psalmum nostrum annumerant psalmis Messianicis eumque ad passionem et agoniam Christi referunt. Ideo in liturgia ecclesiae ps. 87. occurrit: 1) in missa de oratione Domini in monte Oliveti (cf. v. 2. 10. 14 sq.), 2) in officio passionis Domini, 3) feria VI. in Parasceve Domini et in sabbato s. (cf. vv. 4-7), 4) in officio s. syndonis Domini, 5) in festo pret. Sanguinis, 6) in festo 7 dolorum B. Mariae V. (omnes dolores Filii patientis etiam Mater in corde suo sentiebat). Praeter hanc historicam applicationem ps. noster etiam usum moralem habet pro vita spirituali recitantium et quidem: *a)* feria VI. ad Matut. sacerdos hunc ps. recitans cor suum quasi effundit coram Deo, si fluctus tribulationis super eum transeunt cf. v. 16 sqq; *b)* quando

in festo dedicationis ecclesiae psalmum recitamus, recordari debemus, quod in ecclesia, ubi *Deus salutis nostrae* praesens est in ss. Sacramento, omnes miseri, peccatis onusti et tribulati consolationem et pacem inveniunt.

Psalmus LXXXVIII.

Auctor et occasio histor. Auctor hujus ps. in titulo nominatur Ethan (alias Idithun ps. 76, 1). Vir hujus nominis tempore Davidico inter cantores in sanctuario eminebat et tempore Salomonico ob suam sapientiam celebratus erat I. Par. 15, 19. III. Reg. 4, 31. Tempus, quo ps. compositus sit, nullibi indicatur; ideo solummodo ex argumento conjecturam facere possumus. Nonnulli non sine probabilitate conjiciunt, psalmum compositum esse tempore Roboami (975-958) et praecise anno quinto regni ejus, quo Sesacus (Shesonk) rex Aegypti facta incursione in regnum Juda et multis oppidis expugnatis jam in eo erat, ut Hierosolymam occuparet et destrueret III. Reg. 14, 25-28. II. Par. 12, 1-12. Alii autem ex argumento eruere volunt, psalmum ultimo tempore regum Juda vel demum durante exilio babylonico conceptum esse. Juxta hanc sententiam nomen auctoris in inscriptione non est authenticum vel alius vir ejusdem nominis intelligendus est, forsitan unus ex posteris illius Ethan celeberrimi.

Argumentum. In introductione v. 2-5. materia et thema psalmi indicatur; in I. p. v. 6-19. psalmista celebrat admirabiles perfectiones Dei scil. omnipotentiam, justitiam et fidelitatem, dominium universale et beatum praedicat populum, qui talem Deum habet; in II. p. v. 20-38. auctor s. exponit promissa divina Davidi et ejus familiae facta; in III. p. v. 39-52. praesentes calamitates atque angustias familiae Davidicae et populi Israelit. enumerat, in amaras querelas erumpit, iterum recordatur promissionum antiquarum et in fine preces adjungit. V. 53. est doxologia III. librum psalterii claudens.

Sensus Messian. Ea quae in hoc ps. juxta sensum proximum de Davide, de ejus regno et familia enuntiantur in sensu typico et sublimiore ad Christum et ipsius ecclesiam referri debent. Hoc probatur: 1) ex argumento psalmi, quod solummodo in regno Christi perfectum complementum invenit; imo nonnulla, quae in ps. dicuntur, ad familiam Davidicam carnalem et ad regnum Davidicum

temporale nullo modo referri possunt cf. v. 30. 37 sq.; 2) ex manifesta relatione hujus ps. ad promissionem, quam propheta Nathan ex praecepto divino Davidi annuntiare debuit II. Reg. 7, 5-17; utpote ista prophetia, quae juxta Hebr. 1, 5. et Act. 2, 30. vaticinium Messianicum est, in nostro ps. repetitur et amplificatur; 3) ex sententia communi ss. Patrum; e. gr. s. Augustinus (de civit. Dei l. 17. c. 2.) allegans vv. 20-30. adjungit: *quae omnia de Domino Jesu intelliguntur, quando recte intelliguntur;* imo Theodoretus verba vv. 27. et 28. directe et exclusive ad Christum refert et dicit, Judaeos esse coecos, quia hoc non intelligunt.

Annotationes. V. 1. *intellectus* cf. ps. 31, 1. *Ezrahitae*, in t. gr.: *τῷ Ἰσραηλίτῃ* cf. ps. 87.

V. 2. *misericordias* = gratias, seu actiones gratiosas. *veritatem* = fidelitatem in promissis adimplendis.

V. 3. Sens.: gratia et fidelitas Dei nunquam cessat. *in aeternum misericordia aedificabitur* = misericordia Dei semper de novo manifestatur. *praeparabitur* = firma stat. *veritas tua* = fidelitas erga te i. e. fidelitas Dei erga Davidem ejusque prolem. T. hebr. ita sonat: *quoniam dico: in perpetuum aedificatur gratia, in coelis confirmas fidem tuam.* Ergo juxta t. masoreth. psalmista loquens inducitur non Deus; sed lectio vers. 70 et Vulg. praeferenda est.

V. 4. Deus loquitur. *disponere testamentum* = foedus ferire, pactum inire. *electis meis* (in hebr.: electo meo) = Davidi ejusque posteris cf. Is. 55, 3.

V. 5. Sens.: proles tua et regnum tuum perdurabunt in aeternum. Hoc vaticinium in Christo filio David et in ipsius regno perfecte adimpletur cf. Luc. 1, 32 sq. Act. 2, 30.

V. 6. *coeli* = habitatores coeli i. e. angeli. *etenim* = atque. *veritatem* = fidelitatem. *ecclesia sanctorum* = congregatio hominum piorum. Alii etiam sub *sanctis* angelos intelligunt.

V. 7. *in nubibus* = in coelis. *aequabitur* = aequalis vel similis est. *similis erit Deo in filiis Dei* = quis inter angelos Deo similis est?

V. 8. *in consilio* = in concilio seu congregatione. *qui in circuitu ejus sunt* = angeli.

V. 9. *virtutum* = exercituum. *veritas tua in circuitu tuo* = tu omnino et totus fidelis es.

V. 10. Nonnulli putant, h. l. alludi ad exsiccationem maris rubri in transitu Israelitarum.

V. 11. Psalmista vel generatim de omnibus superbis loquitur

vel juxta alios alludit ad Pharaonem ejusque interitum in mari rubro. *vulneratus* h. l. = vulneribus inflictis occisus. *superbus* = superbi, vel = Pharao aut generatim Aegyptii cf. ps. 86, 4.

V. 13. *mare* = mare rubrum i. e. plaga australis. *Thabor* et *Hermon* repraesentant plagam occidentalem et orientalem. *in nomine tuo exultabunt* = celebrant perfectiones tuas.

V. 4. *brachium tuum cum potentia* = tu es potentissimus in operationibus tuis. *firmetur manus tua....* in t. hebr.: firma est manus tua, exelsa dextera tua.

V. 15. *judicium* = jus. *praeparatio sedis tuae* = fundamentum throni tui. Sens. v. 15*b*.: gratia et fidelitas sunt quasi comites tui inseparabiles.

V. 16. *qui scit jubilationem* = qui cultum Dei cognoscit et practice exercet. *vultus* = praesentia, gratia.

V. 17. *in nomine tuo exultabunt* = nomen tuum celebrant. *in justitia tua exaltabuntur* = justitia Dei est causa exaltationis (prosperitatis) populi.

V. 18. *virtus* = fortitudo, potentia. *cornu* = potestas.

V. 19. *assumptio* = protectio. *sanctus Israel* = Deus, qui erat proprius rex populi theocratici.

V. 20. *sancti tui* = prophetae generatim, praesertim Samuel et Nathan; in hebr. est singularis, ideo solus Nathan intelligitur. *in potente* = super potentem seu fortem (David).

V. 21. Cf. I. Reg. 13, 14. 16, 1. 12 sq. Act. 13, 22 sq.

V. 23. Cf. II. Reg. 7, 10 sq. I. Par. 17, 9 sq. *in eo* = contra eum. *filius iniquitatis* = homines iniqui. *non apponet nocere* = non poterit amplius nocere.

V. 25. *in nomine meo* = per nomen m. i. e. per potentiam meam. *cornu* = potestas, gloria; quia autem proles numerosa et fortis gloriam et potestatem affert, ideo cornu etiam = proles cf. Eccli. 47, 13. Ex hac causa cl. Patrizi (l. c. p. 258.) contendit, sub *cornu* David h. l. intelligi ipsius prolem gloriosam et quidem in sensu proximo et imperfecto Salomonem, in sensu perfecto Christum cf. ps. 131, 17. Haec explicatio quidem singularis est, sed cum vaticinio Nathan (II. Reg. 7, 12-17.), de quo ps. noster quasi paraphrasis est, melius conciliatur quam explicatio communis.

V. 26. Proxime indicatur potestas et extensio regni Davidici vel Salomonici, remotius regni Christi cf. ps. 71, 8. *manus*, *dextera* = potestas.

V. 27. 28. Haec verba in sensu pleno et perfecto ad Christum referri debent, uti elucet ex Hebr. 1, 5. cf. Rom. 8, 29. *protector salutis meae*=protector et salvator meus. *excelsum prae regibus terrae*=excelsiorem omnibus regibus terrae.

V. 29. 30. Etiam haec verba tantum in Christo et in ipsius ecclesia perfectum complementum habent. *et thronum ejus sicut dies coeli*=regnum ejus tamdiu perdurat, quamdiu coelum permanet i. e. in perpetuum. *dies coeli*=tempus, quo (quamdiu) coelum stat cf. ps. 71, 5.

V. 31-33. Quae h. l. dicuntur proxime ad posteros regis David referri debent; in sens. spirituali autem valent de semine Christi filii David i. e. de populo christiano. *judicia*=praecepta. *justitiae*=leges. *visitare virga et verberibus*=severe punire et vindicare.

V. 34. 35. Deus pollicetur, se non obstante infidelitate prolis Davidicae promissionem Davidi factam fideliter impleturum esse. *non dispergam ab eo*=non avertam ab eo. *neque nocebo in veritate mea*=neque deero fidelitati meae. *neque profanabo testamentum m.*=neque violabo pactum meum.

V. 36. *semel juravi;* si Deus jurat, quamvis semel tantum, ipsius propositum est irrevocabile. *in sancto meo*=per sanctitatem meam. *si David mentiar;* apodosis fere in hunc modum suppleri debet: tunc non sum Deus verax et justus; ergo sensus est: nequaquam Davidi mentiar.

V. 37. 38. Etiam haec verba ad Christum et regnum ipsius aeternum referri debent cf. II. Reg. 7, 16. *luna perfecta in aeternum*=luna stabilis in perpetuum. *testis in coelo fidelis*=luna est testis divinae fidelitatis; juxta alios=Deus in coelo hanc promissionem fideliter adimplebit; cf. Job. 16, 20.

V. 39. Connexus cum praecedentibus et subsequentibus: Deus Davidi quidem promisit, Messiam ex ejus stirpe esse nasciturum et in aeternum regnaturum; nunc autem familiâ Davidica devicta et humiliata complementum hujus vaticinii impossibile esse videtur. *distulisti christum tuum*=repudiasti regem a te unctum (constitutum); nonnulli ita explicant: distulisti missionem Messiae.

V. 40. *evertisti testamentum servi tui*=dissolvisti pactum tuum initum cum Davide ejusque posteris. *profanasti in terra sanctuarium ejus*=sacrum diadema regis theocratici te permittente in terram projectum et profanatum est. Alii putant, voce *sanctuarium* intelligi templum (cf. Hoberg, die Psalmen der Vulg., p. 264).

V. 41. *sepes ejus, firmamentum ejus*=munimenta a rege erecta. *formidinem*=objectum formidinis=ruinas.

V. 43. *dexteram*=potentiam.

V. 44*a*. Sens.: abstulisti ei omne auxilium in bello. *adjutorium gladii*=gladius adjuvans eum.

V. 45*a*. Sens.: dejecisti eum a splendore pristino. Nonnulli sub voce *emundatio* intelligunt emundationem leviticam; tunc sens. esset: abstulisti ei occassionem peragendi emundationem legalem (ob destruction. templi).

V. 45*b*. Sens.: thronum ejus ad terram dejecisti.

V. 46*a*. Sens.: tempus perpetuae durationis regni Davidici antea promissae imminutum est.

V. 47. *avertis in finem*=avertis te a nobis in perpetuum.

V. 48. *memorare*=memento. *mea*=nostra. *substantia*=duratio vitae. *vane*=sine causa, pro nihilo.

V. 49. *de manu inferi*=de potestate orci (hebr. Sheôl cf. ps. 6, 6).

V. 51. Sens.: recordare opprobrii, quod servi tui a multis gentibus sustinere debent et averte illud; ob istud opprobrium gravem dolorem sentio in corde meo.

V. 52. Indicatur objectum opprobrii ex parte gentium scil. exprobrant et derident *commutationem* i. e. calamitatem et miseriam regis uncti a Deo. In sens. typico haec verba ad humilitatem et ignobilitatem passionis Christi referuntur, ob quam gentibus stultitia, Judaeis scandalum factus est cf. I. Cor. 1, 23. Juxta nonnullos interpretes *commutatio christi* est=commutatus pro christo i. e. successor christi (Davidis) cf. Hoberg, l. c. p. 265.

Usus liturg. Propter sensum Messian. ps. 88. totus recitatur: 1) in festo nativitatis Domini (cum nativitate Christi filii David sensus sublimior psalmi compleri coepit); 2) in festo transfigurationis Christi (cf. v. 7. 13); 3) feria VI. ad Matut. Singuli versus in liturgia ecclesiastica occurrunt: *a)* in festo circumcisionis Domini, *b)* in fest. ss. Cordis Jesu et pretios. Sanguinis (cf. v. 2. 3. 15. 34), *c)* in festo nominis Jesu (cf. v. 17), *d)* in officio passionis Domini, quinque vulnerum etc. (cf. vv. 39-42. 46. 52), *e)* in consecratione episcoporum (cf. vv. 21-22. 37).

Psalmus LXXXIX.

Auctor et occasio histor. Ps. 89. in inscriptione Moysi attribuitur et ex parte argumenti nihil obstat, quominus haec notitia authentica habeatur; imo non parva observatur similitudo linguistica inter hunc ps. et cantica Moysis (cf. praesertim Ex. 15, 1-19). Quanam autem occasione Moyses psalmum composuerit, cum certitudine indicari nequit. Nonnulli ex argumento conjiciunt, mortem praematuram Israelitarum in deserto a Deo in poenam populi rebellis decretam Moysi ad hunc ps. componendum ansam dedisse (cf. Num. 14, 28 sqq). Haec opinio non est improbabilis.

Argumentum. In I. stropha v. 1-6. auctor s. Dei aeternitatem et hominis caducitatem describit; in II. str. v. 7-11. ostendit, hanc caducitatem et miseriam hominis esse sequelam et poenam peccatorum; in III. str. v. 12-17. Deum obsecrat, ut servos suos veram sapientiam doceat, ut eis peccata ignoscat atque gratiam et prosperitatem elargiatur.

Annotationes. V. 1. *oratio;* hic ps. est deprecatorius, ideo *oratio* (hebr. thefillâ) nominatur. *homo (in hebr. vir) Dei*=minister seu vicarius Dei; cf. Deut. 33, 1. Jos. 14, 6. in aliis locis Moyses vocatur *servus Dei*, quod fere idem significat (Jos. 1, 1. 7).

V. 2. *aut*=et. *a saeculo et usque in saeculum tu es Deus;* his verbis **aeternitas Dei** modo claro et praeciso enuntiatur.

V. 3. *ne avertas hominem in humilitatem*=ne permittas, ut homo permaneat in statu humilitatis i. e. in statu peccati, quod hominem maximopere humiliat. *et dixisti*=nam dixisti. Connexus inter 1. et 2. membrum hic est: ne derelinquas homines in statu peccati, nam tu ipse eorum conversionem postulas. Text. hebr. ita sonat: *reverti facis hominem in pulverem, nam dicis: revertimini homines. avertere in humilitatem*=rejicere a se et relinquere in humilitate.

V. 4. Sens.: vita humana considerata aeternitate Dei fere pro nihilo reputanda est, etiamsi mille annos perduraret. Juxta alios sens. esset: mille anni in oculis Dei sunt sicut dies hesterna et vigilia nocturna in oculis nostris. *custodia in nocte*=(sicut) vigilia nocturna. Nox apud Hebraeos in tres custodias seu vigilias dividebatur, quarum quaelibet 4 horas complectebatur; tempore Christi Judaei juxta morem Romanorum noctem in quattuor custodias distribuebant cf. Marc. 13, 35.

V. 5. Sens.: anni, quibus vita humana constat, in oculis Dei fere pro nihilo reputantur. *eorum*=hominum. *erunt*=sunt. In vers. Alex. legitur: *τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν ἔτη ἔσονται*=nihilitates eorum (oculorum Dei) anni sunt = anni humani in oculis Dei nihil sunt.

V. 6. Loco conjunctivi indicativus poni debet sicut in t. hebr. Conjunctiv. in t. lat. ex optativo in vers. graeca exortus est. Sens.: sicut herba mane crescit et floret, vespere autem exarescit et deperit, talis est vita hominis.

V. 7. *defecimus in ira tua*=perimus propter iram tuam. *in furore tuo*=propter furorem tuum.

V. 8. *saeculum nostrum*=vitam nostram; h. l. intelligitur vita peccaminosa, prout ex parallelismo membrorum elucet; in t. hebr. est: abscondita nostra scil. peccata. *in illuminatione vultus tui*=in certa cognitione tua. Sens. totius v.: tota vita nostra et omnia peccata nostra Deo nota sunt.

V. 9. *defecerunt*=pertranseunt. *in ira tua defecimus*=propter iram tuam consumimur. *anni nostri sicut aranea meditabuntur*=labor vitae nostrae est sicut opus araneae i. e. non habet durationem neque valorem. *anni nostri*=vita nostra. *meditari*=laborare cum industria.

V. 10. *dies annorum nostrorum in ipsis 70 anni*=tempus vitae nostrae sunt 70 anni. *in ipsis* (hebraism.)=ipsi scil. dies. *in potentatibus*=ad summum.

Nota. Adjectiva et adverbia in lingua hebr. saepe nominibus abstractis circumscribuntur, quibus praepositio b^e^ (in) praefigitur; si nomen in plurali ponitur, tunc plerumque superlativus designatur. *amplius eorum*=quod est super 80 annos. *mansuetudo* scil. physica=debilitas, imbecillitas. *corripiemur*=abripiemur.

V. 11. Sens.: quis novit magnitudinem irae tuae et quis potest secundum timorem tibi debitum iram tuam aestimare? *iram dinumerare*=aestimare, quamdiu ira perseveret.

V. 12. *dexteram tuam notam fac*=ostende nobis potens auxilium tuum. *et eruditos corde in sapientia*=notos fac nobis illos, quorum cor eruditum est in sapientia; juxta alios: fac nos eruditos in cordis sapientia. Text. hebr. ita habet: doce nos itaque numerare dies nostros, ut afferamus cor sapiens.

V. 13. *convertere*, suppl.: ad nos. *usquequo*=quamdiu derelinques nos in nostra miseria. *deprecabilis esto super servos tuos*=benignus esto erga servos tuos, seu: exaudi preces servorum tuorum.

V. 14. Sens.: Certe tempestivo replebimur gratia tua et tunc laetabimur per totam vitam nostram. *repleti sumus* etc. est perfectum confidentiae, ideo=futurum. *mane*=tempestivo. In t. hebr. est: *satia nos mane gratia tua, ut exultemus et laetemur omnibus diebus nostris.* Cf. S. Hieron. ep. 140. ad Cypr. n. 18.

V. 15. Sens.: pro numero annorum, quibus antea res adversas perpessi sumus, postea laetitia afficiemur. *laetati sumus;* in hebr.: laetifica nos. *humiliasti*=afflixisti. *annis*=pro annis, seu: pro numero annorum. *vidimus*=experti sumus.

V. 16. *opera tua*=facta mirabilia, quae pro servis tuis (Israelitis) patrasti. *eorum* scil. servorum.

V. 17. *splendor*=gratia cf. ps. 4, 7 *(lumen vultus tui). opera manuum nostrarum dirige super nos*=fac ut opera manuum nostrarum sint ad bonum nostrum; t. hebr. ita sonat: prospera opus manuum nostrarum. *dirigere*=bene et recte disponere. *super nos* =pro nobis, in bonum nostrum. *et opus manuum nostrarum dirige;* haec verba per s. d. dittographiam in textum intrusa esse videntur (cf. Houbigant, Notae criticae in universos V. T. libros, Francofurti a. M., 1777. Tom. II. p. 76), vel uti putat Bickell (l. c. p. 64.) antea supplendum est membrum: *gratia Domini sit super nos.* Unum aut alterum lex parallelismi postulare videtur.

Usus liturg. Totus ps. 89. recitatur: 1) feria V. in coena Domini (oratio Christi Redemptoris pro genere humano lapso in peccatum et miseriam); 2) feria V. per annum ad Laudes (oratio ecclesiae pro genere humano misero et caduco). Singuli versus occurrunt: *a)* in missa quattuor temporum in Quadragesima (v. 1. 2. 13.), *b)* in missa dominicae 6., 13. et 21. post Pentecosten (v. 1. 4. 13.), *c)* ad Laudes per annum in versiculo ante *Benedictus* (v. 14), *d)* ad Primam in vers. post *Pater noster* (v. 16, et 17.; petitur benedictio Dei super opera nostra per totam diem peragenda).

Psalmus XC.

Auctor et occasio histor. In text. masoreth. auctor non indicatur; in vers. 70 et Vulg. psalmus attribuitur Davidi, et quia argumentum ingenio Davidico omnino convenit, de authentia hujus inscriptionis non videtur esse dubitandum. Nonnulli propter verba v. 3. et 6. (juxta t. hebr.) putant, Davidem hunc ps. composuisse tempore, quo pestilentia, dominabatur (II. Reg. 24, 15); certe canticum nostrum ex tempore periculis et calamitatibus pleno derivatur.

Argumentum. Auctor s. in hoc ps. demonstrat, quam tutus in omnibus periculis vivere possit, qui fiduciam suam in Deo ponit et se totum divinae providentiae committit. Respectu **argumenti** ps. vix in partes accurate terminatas dividi potest; tantum respectu **personarum,** quae loquentes inducuntur aliqua divisio fieri potest. Nam ps. in forma fere dialogica compositus est scil. a v. 1-3. et v. 9*a*. anima justi plenam fiduciam in auxilio divino exprimit, a v. 4-8. et v. 9*a*-13. psalmista homini justo mirabilem protectionem Dei in omnibus periculis asseveranter promittit; demum v. 14-16. ipse Deus justo in se confidenti specialem tutelam et salutem suam pollicetur.

Annotationes. V. 1. *laus cantici* = canticum laudis seu ps. laudatorius. *in adjutorio* = sub tutela. *commorabitur* = versatur.

V. 2. *dicet* = dicere potest. *susceptor* = protector. *Deus meus, sperabo in eum* = ipse Deus meus est, ideo spem meam in eo colloco.

V. 3. *a laqueo venantium* = ab insidiis adversariorum. *a verbo aspero* = a calumniis et contumeliis; juxta textum hebr.: a peste perniciosissima.

V. 4. *obumbrabit tibi* = proteget te. *sub pennis ejus sperabis* = sub ejus protectione securus eris.

V. 5. Sens.: fidelitas (i. e. fidelis custodia) Dei quasi scuto te circumdat, ideo non est cur timeas terricula nocturna.

V. 6. Sens.: a nullo periculo tibi timendum est, neque die neque nocte neque meridie. *a negotio* = a periculo. *ab incursu et daemonio meridiano* = ab incursu daemonis tempore meridiano. In t. hebr. v. 6. ita sonat: a peste, quae in caligine incedit, a lue, quae meridie devastat.

V. 7. Sens.: etiamsi a sinistris et a dexteris tuis innumeri cadant et intereant, tamen ad te nullum malum accedet. *a latere* = a sinistris.

V. 8. Sens.: castigationem impiorum propriis oculis videbis. *verumtamen* = certe.

V. 11. Ex vv. 11-13. fides Israelitarum de existentia angelorum custodum demonstrari potest; eadem verba allegabantur a Satana Christum tentante Mat. 4, 6.

V. 12. et 13. Sens.: ab omnibus malis et periculis angeli te custodient; quod certe etiam de malis et periculis spiritualibus valet. *basiliscus;* vox hebr. significat viperam. *draco* = serpens immanis (giganteus). Cf. Luc. 10, 19.

V. 14. *cognovit nomen meum*=pertinet ad cultores meos.

V. 16. Sens.: vitam longaevam ei concedam, insuper specialem gratiam et salutem ei praestabo. Vox *salutare meum* etiam ad salutem aeternam referri potest.

Usus liturg. Ps. 90. recitatur: 1) quotidie ad Completorium (oratio vespertina — gratiarum actio et nova precatio); 2) in consecratione et dedicatione ecclesiae (ecclesia tutum habitaculum est, in quo auxilium in tribulationibus et protectionem in omnibus animae periculis invenimus); 3) in solemni exorcismo (cf. v. 5. et 6.); 4) in visitatione infirmi (sacerdos verbis hujus ps. infirmum consolari et contra pusillanimitatem confirmare debet); 5) in missa I. Dominicae Quadrages (in Tractu: petitur auxilium divinum in certamine contra tentationes diaboli).

Psalmus XCII.

Auctor et occasio histor. Hic ps. in inscriptione versionis Alex et Vulg. Davidi adscribitur; contra auctoritatem hujus inscriptionis argumentum firmum vix adduci potest; nam quamvis titulus in hodierno textu hebr. desideretur, tamen valde probabile est, interpretes graecos eum in textu, quem prae oculis habuerunt, invenisse. Tempus compositionis accurate indicari non potest. Nonnulli ex argumento conjiciunt, psalmum vel post aliquam insignem victoriam vel post expulsionem Jebusaeorum ex urbe Jerusalem occasione translationis arcae foederis in montem Sion compositum esse (cf. II. Reg. 5, 6-9. 6, 12 sqq.).

Argumentum. Materiam ad hunc ps. componendum auctori s. historia creationis et historia populi theocratici subministravit. Ideo psaltes regius celebrat Dei perfectiones tum in creatione mundi tum in provida ductione populi Israelitici manifestatas scil. majestatem et omnipotentiam (v. 1. 2.), aeternitatem (v. 3*a*), magnificentiam (3*b*. 4.), veracitatem (5*a*); in fine inculcat reverentiam sanctuario debitam.

Annotationes. *laus cantici*=canticum laudis. *ipsi David*=ab ipso Davide cf. ps. 15, 1. *in die ante sabbatum*=feria VI. ps. cantandus est. *quando fundata est terra*=quando fundatio seu creatio terrae absoluta est. In vers. Alex.: *ὅτε κατῴκισται ἡ γῆ*=quando terra inhabitata est scil. per creationem hominis.

V. 1. *Dominus regnavit*=Dominus est rex, ipse dominium

universale habet. *decorem*=gloriam seu majestatem. *indutus est fortitudine et praecinxit se*=Dominus potentia indutus est quasi pallio eaque accinctus est quasi armatura.

V. 1c. Indicatur titulus, ob quem Deo dominium universale competit, scil. ipse est Dominus omnium rerum titulo creationis. *firmavit*= creavit.

V. 2. *sedes tua*=thronus tuus. *ex tunc*=a saeculo.

V. 3. Nonnulli putant, h. l. indicari fluxum et refluxum aquarum, quibus terra altero die creationis cooperta erat quasque Deus tertio creationis die compescuit et regulavit congregando eas in unum locum cf. Gen. 1, 9. Alii autem fluctibus aquarum tumentium et aestuantium incursiones hostium theocratiam impugnantium metaphorice designari censent cf. Is. 17, 13. *elevare vocem*=sonitum reddere, strepitum facere.

V. 4. Sens.: sonitu aquarum multarum mirabiliores sunt fluctus maris et adhuc mirabilior est Dominus in altis. *mirabiles*= mirabiliores (hebraism.). In lingua hebr. propria forma ad designandum comparativum non datur; ideo comparativus exprimitur positivo cum praepositione *min* (=a vel prae). Hunc modum loquendi saepe etiam vers. 70 et Vulg. imitantur.

V. 5. *testimonia tua*=revelationes vel promissiones tuae. *credibilia facta sunt nimis*= fide dignissima sunt. *nimis*= valde. Auctor s. dicere vult: veracitas et fidelitas Dei jam ex historia populi Israelitici nota et comperta sunt. *domum tuam decet sanctitudo*= quia Deus ipse est sanctissimus, ideo etiam ipsius tabernaculum terrestre sanctum et ab omni profanatione alienum esse debet. Ex h. l. elucet, psalmum nostrum specialem relationem habere ad sanctuarium Dei et probabiliter occasione alicujus, solemnitatis, qua sanctuarium celebrabatur, esse compositum.

Usus liturg. Ps. 92. recitatur omnibus diebus dominicis et festis ad Laudes primo loco, nam hic ps. est laudatorius per eminentiam; v. 5. in festo dedicationis ecclesiae saepius resonat (in Invitatorio, in Antiphon., in Responsor., in Vers.), quia in eo sanctitas domui Dei debita effertur.

Psalmus XCIII.

Auctor et occasio histor. In hodierno textu hebr. auctor hujus ps. non indicatur, in vers. 70 et Vulg. autem Davidi adscribitur. Nonnulli quidem putant, argumentum psalmi tempori Davidico non

convenire, sed haec sententia non videtur esse omnino justa; nam alii exegetae contrariam sententiam tenent. Si ps. revera est Davidicus, tunc probabiliter tempore, quo David erat in fuga vel a Saule persequente vel ab Absalom rebelli, compositus est.

Argumentum. In introduct. v. 1. justitia Dei vindicativa celebratur; in I. p. v. 2-11. psalmista Deum obsecrat, ut judicium severum contra impios adversarios excerceat, deinde eorum injurias et facinora contra populum Dei commissa describit eosque adhortatur, ut tandem aliquando prudentiores fiant considerantes Dei omnipotentiam, justitiam et omniscientiam; in II. p. v. 19-22. justos, qui legem Dei observant, beatos praedicat et Dei providentiam celebrat, qua fideles cultores suos in omnibus periculis et angustiis protegit atque consolatur; in conclus. v. 23. iterum justitiam Dei vindicativam extollit.

Annotatione. V. 1. *quarta sabbati* = ps. feria IV. cantandus est (nota liturg.) cf. ps. 23, 1. *Deus ultionum* = Deus justissimus vindex. Genitivus pluralis nominis abstracti h. l. superlativum nominis concreti indicat (hebraism.). *libere egit* = modo aperto et manifesto sine ullo respectu personarum agit.

V. 2. *retributionem* = vindictam.

V. 5. *hereditatem tuam* = populum a Deo electum.

V. 7. *intelliget* = animadvertit. *Deus Jacob* = Deus populi Israelit.

V. 8. *aliquando sapite* = tandem aliquando prudentes estote.

V. 9. Sens.: Deus quippe qui est auctor facultatis audiendi et videndi omnia facinora vestra necessario audire et videre debet.

V. 10. Sens.: Deus justissimus et omniscius omnes iniquitates punire debet. In fine hujus v. forsitan supplendum est: *nonne Deus cognoscet consilia vestra?* (cf. Bickell, l. c. p. 65).

V. 11. Sens.: Dominus scit, cogitationes et consilia hominum vana esse. Apostolus I. Cor. 3, 20. verba hujus v. allegat ad ostendendam vanitatem sapientiae humanae.

V. 13. *ut mitiges ei* = ut parcas ei. *a diebus malis* = a diebus calamitosis.

V. 14. *hereditatem suam* = populum suum.

V. 15. Hic v. cum praecedenti stricte conjungendus est; ideo post v. 14. non punctum, sed tantum comma poni debet. Sens.: quamdiu in judicio exercetur justitia et (quamdiu) omnes recti corde eam sequuntur. *qui juxta illam* = qui justitiam sequuntur.

V. 16. *quis consurget mihi* = quis consurget mecum vel pro me.

V. 17. Sens.: si Dominus me non adjuvisset, parum deesset, ut habitarem in inferno (in sepulchro). *nisi quia*=nisi fuisset quod.

V. 18. *si dicebam: motus est pes meus*=si putabam, pedem meum vacillare i. e. me propinquum esse lapsui (ruinae).

V. 19. Sens.: multitudini dolorum, quos in corde meo sustinere debui, correspondet multitudo consolationum, quibus Deus me laetificat.

V. 20. Sens.: num tuum tribunal est injustum, num tu es talis, qui paras miseriam (injuriam) lege tua? *fingere laborem*=parare miseriam seu facere injuriam.

V. 21. Loco temporis futuri praesens poni debet. *captabunt in animam justi*=insidiantur vitae justorum. *sanguis innocens*=homines innocentes.

V. 22. *et*=sed. *adjutorium spei meae*=adjutorium in quo spero.

V. 23. *reddet*= rependet. *in malitia*=propter malitiam.

Usus liturg. Ps. 93. in liturgia ecclesiast. occurrit: 1) feria VI. in Parasceve Domini, nam in passione Christi Deus quasi ultionem (vindictam) sumsit de peccatis generis humani (v. 1; cf. etiam vv. 16-23., qui ex persona Christi patientis recitari possunt); 2) in festo pretios. Sanguinis (v. 21); 3) feria VI. per annum; 4) v. 19. in festo ss. cordis Jesu recitatur (in Antiph.).

Psalmus XCIV.

Auctor et occasio histor. In text. masoreth. ps. 94. inscriptione caret, ideoque auctor non indicatur; in titulo autem, quem vers. 70 et Vulg. praefixum habent, ps. Davidi adscribitur, quod ab Apostolo Hebr. 4, 7. confirmatur. Ideo juremerito concluditur, illum titulum jam in textu originali adfuisse et tantum incuria librariorum ex text. hebr. excidisse. Occasio historica cum certitudine erui nequit; nonnulli exegetae putant, nostrum ps. occasione translationis arcae s. in montem Sion compositum esse (II. Reg. 6, 12 sqq.).

Argumentum. In introductione v. 1-2 psalmista omnes invitat ad Deum laudandum et celebrandum; in I. p. v. 3-7 rationes indicat, ob quas Deus celebrandus sit scil. *a)* quia ipse solus est Deus verus (v. 3.) *b)* quia est creator et dominus supremus totius orbis terrarum (v. 4. 5) *c)* quia est creator hominum (v. 6) *d)* quia est pastor bonus populi Israelitici (v. 7); in II. p. v. 8-11. auctor s. populares suos adhortatur, ne contra tantum Deum rebelles sint,

sicut olim patres in deserto, qui propter suam inobedientiam ab ingressu in terram promissam exclusi sunt.

Nota. In Breviario Romano duplex recensio hujus ps. invenitur: recensio psalterii Romani ad Invitatorium et recensio psalterii Gallicani in festo Epiphaniae III. Nocturn.

Annotationes ad singulos versus. V. 1. *laus cantici*=canticum laudis. *ipsi David* cf. ps. 15, 1. *exultemus Domino*=laudemus Dominum cum exultatione. *jubilemus Deo*=celebremus Deum jubilantes. *salutari nostro*=salvatori nostro (in vers. gr.: σωτῆρι).

V. 2. *praeoccupemus faciem ejus*=jam in antecessum gratiam ejus acquirere studeamus; alii ita explicant: veniamus ante faciem ejus i. e. appropinquemus Deo. *in confessione*=cum praedicatione laudis divinae.

V. 3. *rex magnus super omnes deos*=Deus noster est summus et maximus Deus, cui etiam illi subditi sunt, qui ab aliis gentibus dii putantur. In psalt. Romano h. l. inseritur: *quoniam non repellet D. plebem suam* cf. ps. 93, 14.

V. 4. *in manu ejus*=in ejus potestate. *omnes fines terrae*= totus orbis terrarum. *altitudines montium ipsius sunt* (in psalt. Rom.: *altitudines montium ipse conspicit*)=ipse est dominus montium altissimorum.

V. 5. *et ipse*=nam ipse. *siccam* (in psalt. Rom. *aridam*)= terram firmam.

V. 6. *procidamus*=prosternamus nos. *adorare*=prosterni, summum honorem et obsequium praestare. *ploremus;* in vers. s. Hieronymi est: *genuflectamus.*

V. 7. *populus pascuae ejus*=Deus est pastor bonus, populus Israelit. est ejus grex. *oves manus ejus* =populus electus est quasi grex sub tutela Dei constitutus.

V. 8. *hodie si*=quandocunque seu quocunque tempore, quo Deus monitionem suam mandat.

V. 9. *in irritatione* (in psalt. Rom.: *in exacerbatione*)=quando populus Israel. inobedientia et rebellione sua Deum irritabat et exacerbabat. In t. hebr. est: *sicut Meribae*=sicut in illo loco, in quo irritatio seu rebellio facta est. Alluditur ad duplicem rebellionem et murmurationem populi: *a)* occasione penuriae aquarum (Ex. 17, 1-7) *b)* occasione falsae relationis exploratorum quoad conditionem terrae promissae ejusque incolas (Num. cap. 14). *secundum diem tentationis*=tempore tentationis. *tentaverunt me*=

dubitaverunt de auxiliio et potestate mea. (Deus loquens inducitur). *probaverunt*=exploraverunt. *et viderunt opera mea*=etiamsi viderunt opera mea mirabilia.

V. 10. *offensus fui generationi illi*=ab illa generatione populi Israelit. in deserto offensus sum. In psalt. Rom. legitur: *proximus fui generationi illi.* Apostol. Hebr. 3, 9 sq. hanc sententiam ita construit: *viderunt opera mea 40 annis, propter quod offensus fui generationi huic.*

V. 11. *et isti;* in psalt. Rom.: *ipsi vero;* in citato Hebr. 3, 10.: *ipsi autem. vias meas*=consilia mea. *ut juravi*=sicut juravi; juxta al.=ideo juravi; in psalt. Rom. est: *quibus juravi*=secundum consilia mea juravi; vel *quibus*=relate ad quos (Israelitas). *si introibunt*=certe non introibunt. In formulis jurandi Hebraei saepe apodosin reticent et lectori supplendam relinquunt; apodosis ita fere sonare deberet: *tunc non sum Deus verax et justus. in requiem meam*=in requiem a me eis paratam=in terram promissam.

Nota. In Epistola ad Hebr. 3, 7-11. versus 8-11. hujus ps. allegantur deinde (3, 12-4, 12.) explicantur et applicantur ad Judaeos illius temporis, qui in obduratione cordis sui praedicationi Evangelii Christi credere noluerunt ideoque nullam spem habuerunt ingrediendi in requiem Dei i. e. in coelum. Memoratu dignum est, quod tempus gratiae pro Judaeis inde a prima praedicatione Evangelii usque ad excidium Hierosolymae etiam 40 annos perduravit (a. 30-70) sicut pro Israelitis in deserto.

Psalmus XCV.

Ocasio histor. Ps. 95. eadem occasione compositus est ac ps. 23. scil. quando arca Domini ex aedibus Obededomi in tabernaculum a Davide in monte Sion erectum translata est. Hoc ex I. Par. 16, 22-33. elucet, ubi hic ps. fere iisdem verbis repetitur et narratur, eum in translatione arcae s. fuisse decantatum. Huic narrationi inscriptio videtur esse contraria, nam ibi legitur: *quando domus aedificabatur post captivitatem.* Attamen his verbis non indicatur tempus compositionis, sed potius occasio, qua hic ps. iterato decantatus est nempe post reditum ex captivitate babylonica templo reaedificato. Ex hoc elucet, illa verba inscriptionis, quae tantum in vers. 70 et Vulg. occurrunt, non ab auctore psalmi derivari, sed serius ad usum liturgicum addita esse.

Auctor. Juxta inscriptionem in vers. 70 et Vulg. ps. noster a Davide compositus est, quod ex narratione I. Paral. cap. 16. confirmatur. Ideo haec prior pars inscriptionis, in qua auctor indicatur, authentica habenda est et sine dubio antiquitus etiam in exemplaribus hebraicis inveniebatur, prout translatio quoque hebraizans (*τῷ Δαυίδ, ipsi David*) innuere videtur.

Divisio et argumentum. Ps. 95. in tres strophas dividitur; in I. str. v. 1-6. psaltes regius populum Israelit., in II. str. v. 7-10. populos gentiles, in III. str. v. 11-13. totam naturam excitat et adhortatur ad Deum laudandum et celebrandum; simul etiam rationes hujus obsequii praestandi adducit: *a)* quia Deus est creator omnipotens (I. str.), *b)* quia est rex omnium populorum (II. str.), *c)* quia est judex justissimus et universalis (III. str.).

Sensus Messian. Hic ps. abundat allusionibus Messianicis. Jam vetus synagoga eum de Messia et de ipsius novo templo exposuit. Ad hanc traditionem Judaeorum accedit traditio christiana; nam ecclesia psalmum nostrum in sua liturgia semper ad Christum referebat, et ss. Patres declarant, eum esse admonitionem ad totum mundum et ad omnes gentes directam, ut salutem Messianicam a Deo eis oblatam toto corde amplectantur. Et re quidem vera eà quae h. l. de cultu Dei inter omnes gentes propagando et de regno Dei universali enuntiantur solummodo tempore christiano et per ecclesiam catholicam ad complementum deducta sunt, minime autem per synagogam V. T. Ideo concedi debet, hunc ps. saltem in sens. typico ad Christum esse referendum.

Annotationes. V. 1. *omnis terra*=omnes incolae terrae.

V. 2. *benedicite nomini ejus*=celebrate nomen ejus. *salutare ejus*=salus a Deo exspectanda. Triplex *cantate* in v. 1. et 2. juxta nonnullos aliquo modo mysterium ss. Trinitatis innuit.

V. 3. In V. T. facta Dei mirabilia et gloria ipsius praesertim in historia populi Israelit. manifestabantur; tempore autem Messianico inter omnes gentes manifestari debent.

V. 4. Majestas et gloria veri Dei extollitur in oppositione ad vanitatem idolorum. *laudabilis nimis*=maximopere laudandus. *terribilis super omnes deos*=excelsior omnibus diis gentium i. e. ipse solus est Deus attissimus et Deus verus.

V. 5. *omnes dii gentium daemonia*=idola sunt organa daemoniorum, quia idolorum cultus instigante et seducente diabolo introductus est et quia ex oraculis idolorum saepe diabolus ipse

responsa dabat; ideo in idololatria indirecte daemones colebantur cf. I. Cor. 10, 20. Apoc. 9, 20. In loco parall. I. Paral. 16, 26. legitur: *omnes enim dii populorum idola;* in t. hebr.: omnes dii gentium fictitii seu vanitates sunt. Ideo juxta t. hebr. sens. v. 5. est: dii gentium nihil sunt et nihil valent, Jehovâ (Jahvé) autem est creator omnipotens.

V. 6. Text. hebr. ita sonat: gloria et majestas (est) in conspectu ejus; potestas et decor in sanctuario ejus.

V. 7. *patriae gentium*=familiae gentium cf. I. Par. 16, 28.; in vers. Alex.: *αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν.*

V. 8. *offerte Domino gloriam nomini ejus*=date honorem Domino ejus nomini debitum; in l. parall. I. Par. 16, 29. est: *date Domino gloriam, nomini ejus levate sacrificium. hostias;* in t. hebr. est: minchâ=oblatio incruenta. *atria ejus*=atria templi et generatim templum. In h. v. gentes invitantur ad ingressum in sanctuarium Dei et ad oblationem sacrificii incruenti; hanc vocationem autem gentes tantum tempore christiano secutae sunt, quo ab omnibus gentibus in sanctuario ecclesiae cathol. illa oblatio mundo sacrificatur, de qua Malachias 1, 11. vaticinatus est.

V. 9*a*. cf. ps. 28, 2. *in atrio s.*; in hebr.: induti ornatu s.

V. 9*b*. Sensus: omnes terrae incolae timore et reverentia veri Dei afficiantur.

V. 10. *Dominus regnavit*=D. est rex, D. dominium universale habet. In nonnullis codicibus versionis 70, in psalt. Rom. et apud plures ss. Patres legitur: *Dominus regnavit a ligno;* haec verba explicantur de Christo Domino, qui a ligno crucis regnum suum i. e. ecclesiam instituit, quae quasi ex latere ipsius transfixo egressa est. Sed vox *a ligno* certe non est authentica et sine dubio tempore demum christiano glossematis instar adjecta et sic in textum intrusa est, attamen ostendit fidem ss. Patrum de sensu Messian. hujus ps. Jam apud s. Justinum M. haec lectio invenitur; etiam liturgia ecclesiastica eam acceptavit. *correxit orbem terrae, qui non commovebitur*=orbem terrae ita constituit, ut non commoveatur i. e. ut non corruat; in l. parall. I. Par. 16, 30. legitur: *ipse enim fundavit orbem immobilem.*

V. 11. et 12. Praedicitur, omnes creaturas etiam irrationales aliquo modo participes fore salutis et gloriae Messianicae, quod praesertim post secundum Christi adventum verificabitur, quando nova terra et novi coeli erunt cf. Rom. 8, 19-22. II. Pet. 3, 13. Imo jam in primo Christi adventu natura magnam partem habuit:

in ejus nativitate apparuit stella mirabilis, venti et mare obediebant ei (Marc. 4, 39 sq.) in ejus passione et morte terraemotus factus est magnus (Mat. 28, 2.) etc. *laetentur, commoveatur*, in hebr.: *laetabuntur, commovebitur*.

V. 13. H. l. saltem in sensu typico de adventu Messiae agitur. Messias venit ad judicium habendum; hoc judicium Messian. incepit in primo Christi adventu et absolvetur in secunda Christophania per judicium universale. *a facie Domini*=ob praesentiam seu adventum Domini. *in aequitate*=in justitia. *in veritate*=juxta veritates a se revelatas vel juxta veracitatem suam.

Nota. In hoc ps. divisio in versus non recte facta est. Divisio potius ita instituenda esset: 1. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra, cantate Domino et benedicite nomini ejus. 2. Annuntiate de die in diem salutare ejus, annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. 3. Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos, quoniam omnes dii gentium daemonia. 4. Dominus autem coelos ferit, confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. 5. Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. 6. Tollite hostias et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus, commoveatur a facie ejus omnis terra. 7. Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit, etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur, judicabit populos in aequitate. 8. Laetentur coeli et exultet terra, comoveatur mare et plenitudo ejus. 9. Gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt; tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit. 10. Quoniam venit judicare terram: judicabit orbem terrae in aequitate et populos in veritate sua. cf. Bickell, Dichtungen der Hebraeer, III. der Psalter, Innsbruck 1883. p. 181 sq.

Usus liturg. Ps. 95. recitatur: 1) in festo nativitatis et circumcisionis Domini (cf. v. 12. et 13); 2) in festo Epiphaniae (cf. v. 3. et 7.); 3) in festo ss. Trinitatis (cf. triplex *cantate* in v. 1. et 2. et triplex *afferte* in v. 7. e 8); 4) in off. s. crucis, quinque vulnerum, lanceae et clavorum (cf. v. 10. *Dominus regnavit a ligno*); 5) in festo ss. nominis Jesu (cf. v. 2. et 8.); 6) in festis B. V. Mariae (Messias per B. V. Mariam in hunc mundum intravit); 7) feria VI. per annum ad Matutin.; 8) in festo dedicationis ecclesiae (cf. inscript. et v. 8.); 9) in festis Virginum, quae in coelis canunt canticum novum (v. 1. cf. Apoc. 14. 1-5.).

Psalmus XCVI.

Auctor et occasio histor. Ps. 96. juxta titulum in vers. Alex. et Vulg. a Davide compositus est; et quamvis haec inscriptio in text. masoreth. desideretur. tamen nihil obstare videtur, quominus authentica habeatur, nam argumentum psalmi ingenio Davidis apprime convenit. In altera parte inscriptionis occasio historica indidicatur: *quando terra ejus restituta est*=quando regnum ejus constitutum et confirmatum est; nam vox *restituere* h. l.=constituere vel confirmare, uti elucet ex vers. graeca, in qua legitur: *ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ καθίσταται.* Ideo David hunc ps. probabiliter eo tempore exaravit, quo regnum theocraticum jam omnino constitutum et confirmatum erat.

Nota. Nonnulli interpretes catholici putant, hoc carmen ex origine Davidicum tempore Isaiae recusum et in aliam formam redactum esse. Quod ex parte etiam de ps. 95. et 97. contendunt.

Argumentum. In I. parte v. 1-6, psalmista diversis imaginibus dominium et judicium Dei universale a. v. normam et formam judicii divini describit; in II. p. v. 7-9. effectus hujus dominii et judicii divini indicat, qui sunt: confusio idololatrarum et laetitia fidelium cultorum veri Dei; in III. p. v. 10-12. corollarium practicum deducit scil. officia et beneficia indicat, quae ex dominio et judicio Dei universali pro ipsius cultoribus sequuntur.

Sens. typicus. A theocratia V. T. psalmista abripitur ad contemplandam theocratiam N. T., ideo argumentum hujus ps. juxta sensum spiritualem ad dominium et judicium universale Christi Domini refertur, quod in primo ipsius adventu initium sumpsit, adhucdum perdurat, et in secunda Christophania per judicium extremum consummabitur. In hoc sensu nostrum ps. jam Apostolus Hebr. 1, 6. explicat, quem ss. Patres secuti sunt. Etiam materia substrata huic expositioni typicae perbene convenit.

Nota. Advertendum est, in hoc ps. sicut in multis aliis non esse respiciendum ad tempora, quae in Vulg. inveniuntur, quia ibi saepe praeteritum pro futuro vel praesenti et vice versa ponitur.

Annotationes ad singulos versus. V. 1. *Dominus regnavit* cf. ps. 95, 10. *insulae multae*=insulani seu habitatores regionum maritimarum, imo nonnunquam=populi gentiles.

V. 2. *nubes et caligo in circuitu ejus*; alluditur ad illam nubem,

in qua Deus super arcam foederis speciali modo praesens erat (Ex. 30, 32. Lev. 16, 2) vel ad nubem et caliginem, in qua Deus absconditus erat in monte Sinai (Ex. 19, 9.). In sens. typico haec verba referri possunt ad Christum venturum in nubibus coeli (Mat. 24, 30). *correctio sedis ejus*=fundamentum throni ejus.

V. 3. *ignis* h. l. est imago irae et poenae divinae contra impios. *inflammabit*=consumet.

V. 4. Sens.: fulgura irae et justitiae divinae in toto orbe conspiciuntur, in quorum conspectu omnes homines commoventur et contremiscunt. Quod praesertim in judicio extremo obtinebit.

V. 5. *montes sicut cera fluxerunt*=Deus montes liquefacere seu dissolvere potest eodem modo, quo cera liquescit in igne. Ideo hac imagine omnipotentia Dei indicatur. Nonnulli putant, his verbis in sensu typico significari conflagrationem mundi post secundum Christi adventum i. e. in consummatione saeculorum cf. II. Pet. 3. 10. *a facie Domini*=a praesentia vel efficacitate Domini.

V. 6. *annuntiaverunt coeli*=angeli coelorum annuntiant. *viderunt omnes popŭli gloriam ejus*; haec verba in sens. typ. generatim ad tempus Messian. et in specie ad extremum judicium referenda sunt, in quo gloria Dei omnibus populis modo luculentissimo manifestabitur.

V. 7. *sculptilia, simulacra*=imagines idolorum. *adorate eum omnes angeli ejus;* Apostolus Hebr. 1, 6. haec verba explicat de adoratione Christi ex parte angelorum in primo et secundo ipsius adventu atque ex eis ostendit, Christum habere naturam divinam. Nonnulli autem putant, Apostolum haec verba non ex nostro ps. sed ex Deut. 32, 43. desumpsisse, ubi juxta versionem Alex. legitur: *et adorent eum omnes angeli Dei* (in text. masor. et in Vulg. hoc incisum deest). Loco *adorate* in hebr. est: *adorant.*

V. 8. *audivit* scil. ea quae in v. 7. dicuntur. *Sion*=Hierosolyma, centrum theocratiae V. T.; in sens. typ.=ecclesia N. T. *filiae Judae*=reliquae civitates in regno Juda. *propter judicia tua*=judicia Dei, quibus adversarii theocratiae puniuntur et humiliantur.

V. 9. Connexus cum praecedentibus et sensus: quia tu solus es Deus supremus ideo omnes judicare potes et omnes se tibi subjicere debent, dii gentium autem impotentes sunt.

V. 10. Sens.: cultores veri Dei, qui malum odio habent et justitiam diligunt, a Deo custodiuntur et ab omnibus impiorum insidiis liberantur.

V. 11. *lux*=gratia divina vel generatim felicitas. In sens. spirituali salus Messian. intelligi potest, nam Christus est *lux mundi, oriens ex alto ad illuminandos eos qui in tenebris et umbra mortis sedent* cf. Joan. 8, 12. Luc. 1, 78.

V. 12. *laetamini in Domino* cf. Philip. 4, 4. *confitemini memoriae sanctificationis ejus*=celebrate sanctam memoriam ejus. *sanctificationis*=sanctitatis (nom. abstr. in genit. pro adjectivo).

Usus liturg. Hic ps. fere iisdem occasionibus et ex iisdem rationibus in liturgia ecclesiastica recitatur ac ps. 95; insuper etiam in festo ascensionis et transfigurationis Domini occurrit (cf. v. 1. 2. 6. 9. 11.).

Psalmus XCVII.

Auctor et occasio histor. Ps. 97. juxta inscriptionem in vers. Alex. et Vulg. a Davide derivatur et probabiliter eadem occasione ac ps. 95. scil. in solemni translatione arcae foederis in montem Sion decantatus est; nam argumentum utriusque psalmi valde consimile est. Coram oculis psalmistae historia populi theocratici inde ab exitu ex Aegypto usque ad translationem arcae in montem Sion sese evolvit. Haec historia est catena non interrupta factorum Dei mirabilium. Mons Sion est quasi centrum, ex quo psaltes regius respicit retro in tempus praeteritum et simul prospicit protinus in tempus futurum.

Argumentum. In I. str. v. 1-3. facta Dei mirabilia ad salutem hominum et praesertim populi electi patrata celebrantur; in II. str. v. 4-6. totus orbis terrarum i. e. omnes populi et omnes homines invitantur ad Deum laudandum; in III. str. v. 7-9. universa natura quoque excitatur ad manifestandam suam laetitiam ob adventum Domini et ob ipsius judicium justissimum.

Sensus typicus hujus ps. fere idem est ac in ps. 95. scil. praenuntiatur adventus Christi primus et secundus, ille ad salvandum hic ad judicandum.

Annotationes. V. 1. *salvavit sibi dextera ejus*=Deus in factis suis mirabilibus patrandis nullo alieno auxilio indiguit sed omnia propria sua potentia perfecit. *salvavit sibi*=salutem ipsi paravit cf. Is. 59, 16. 63, 5. Psalt. Rom. habet: *salvavit eum*=adjuvit eum.

V. 2. Sens. litteral.: Deus populo Israelit. salutem et gratiam suam, gentibus autem adversis justitiam suam vindicativam ostendit. Sens. typ.: Deus praeprimis salutem Messianicam populo Israelit.

obtulit, deinde etiam omnibus gentibus justitiam suam, qua homines justos facit, manifestavit.

V. 3. Sens. litteral.: Deus populum suum hucusque gratia speciali prosecutus est et in promissis suis adimplendis fidelissimum se ostendit, ita ut etiam reliqui populi hoc facile modo observare potuerint. Sens. typ.: Deus promissa sua de salute Messianica populo Israel. facta fideliter adimplebit et omnes gentes quoque hujus salutis participes faciet cf. Luc. 1, 54 sq. 72. 2, 30 sq.

V. 5. Sens.: celebrate Deum cantantes psalmum ad sonum cytharae.

V. 6. *in tubis ductilibus* = cum tubis ex metallo ductili confectis. *tuba cornea* = buccina ex cornu bovino confecta.

V. 7. *moveatur mare* scil. quasi prae gaudio. *plenitudo ejus* = animalia marina.

V. 8. *flumina* et *montes* h. l. personificantur. *manu plaudere* est signum laetitiae et assensus cf. Is. 55, 12.

V. 9. *a conspectu Domini* = ob praesentiam Domini.

Usus liturg. Propter argumentum valde simile hic ps. in liturgia ecclesiae cath. fere in iisdem festis recitatur sicut ps. 95.

Psalmus XCVIII.

Auctor et occasio histor. Juxta inscriptionem in vers. Alex., Vulg. et Syriaca hic ps. a Davide compositus est. Haec inscriptio in t. hebr. quidem non invenitur, attamen non est causa cur ejus auctoritas impugnetur, nam argumentum et modus dicendi Davidi prorsus conveniunt. E versibus 1. 2. 5. et 9., in quibus de praesentia Dei inter Cherubim, de scabello pedum ejus scil. de arca s., de monte sancto (Sion) sermo fit, cum magna probabilitate concludi potest, psalmum occasione translationis arcae Domini in montem Sion vel paullo post exaratum esse cf. II. Reg. 6, 12-17.

Argumentum. In hoc ps. Deus celebratur uti potentissimus creator, justissimus gubernator, benignissimus revelator et sanctificator. Vers. intercalari 5. et 9. psalmus in duas strophas dividitur. In I. str. v. 1-5. psalmista celebrat dominium universale, majestatem, sanctitatem et justitiam Dei; in II. str. v. 6-9. ex historia populi Israelit. describit et ostendit Dei misericordiam et benignitatem manifestatam exauditione precum (v. 6.), revelatione et legislatione Mosaica (v. 7.) et remissione peccatorum (v. 8.). In vers.

intercalari thema seu cogitatio principalis totius ps. enuntiatur scil.: Deus est celebrandus et adorandus propter suam sanctitatem et quidem in loco sancto a se electo.

Annotationes. V. 1. *ipsi David* cf. ps. 15, 1. *Dominus regnavit* cf. ps. 95, 10. *irascantur populi*=contremiscant gentes theocratiae adversae. *qui sedet super Cherubim*=qui super arcam Domini inter imagines Cheruborum speciali modo praesens est qua protector populi sui cf. Ex. 25, 16-22. *moveatur terra*=commoveantur seu trepident incolae terrae.

V. 2. Sens.: Dominus, qui in monte Sion sedem suam posuit, est rex magnus omnium populorum.

V. Sens.: omnes populi nomen Dei celebrare debent propter ipsius sanctitatem. *nomen Dei*=numen Dei.

V. 4. *honor regis judicium diligit*=majestas regis divini diligit et exercet justitiam. *tu parasti directiones*=tu perficis actiones rectas et justas. *judicium et justitiam in Jacob tu fecisti*=jus et justitiam in populo Israel. exerces.

V. 5. *adorate scabellum pedum ejus*=prosternite vos ad scabellum pedum ejus et adorate Deum in sanctuario praesentem. *scabellum pedum Dei* per anthropomorphismum dicitur arca Domini vel significatione latiore totum sanctuarium cf. ps. 131, 7. I. Par. 28, 2. *sanctum est*, in t. hebr.: *sanctus est* scil. Deus.

V. 6. Psalmista exempli gratia tres viros in theocratia insignes nominat, qui modo justo et convenienti Deum adoraverunt et invocaverunt, ideoque etiam a Deo exauditi sunt. *in sacerdotibus ejus*=inter sacerdotes Dei. Moyses et Aaron in republica theocratica primi sacerdotes erant, Aaron ordinarius Moyses extraordinarius. *Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus*=Samuel inter cultores Dei speciali modo eminet. *invocabant Dominum.....* cf. Ex. 17, 11; 32, 30-32. I. Reg. 7, 8. 12, 16-18.

V. 7. *in columna nubis* scil. quae populum Israelit. in exitu ex Aegypto praecedebat et postea super arcam foederis se demisit ibique constitit cf. Ex. 13, 21 sq. 40, 32 sqq. Num 12, 5. *loquebatur* i. e. Deus ex ista nube loquebatur ad Moysen et post tempus Mosaicum ex ea pontifici interroganti responsa dedit cf. Jud. 20, 27 sqq. I. Reg. 23, 9 sqq. *testimonia*=leges.

V. 8. H. l. celebratur justitia Dei remunerativa et vindicativa. *eos*=Israelitas. *adinventiones*=opera non a Deo praecepta sed propria cupiditate adinventa. *eorum*=Israelitarum; juxta alios=inimicorum; iterum alii dicunt *eorum* esse=contra eos.

V. 9. *in monte s. ejus*=in monte Sion. *quoniam sanctus Dominus*; Deus ter in h. ps. *sanctus* praedicatur et quidem *a)* propter suam majestatem (v. 1-3), *b)* propter suam justitiam (v. 4-5.), *c)* propter suam benignitatem (v. 6-9); cf. illud trisagion Seraphorum apud Is. 6, 3.

Usus liturg. Ps. 98. recitatur: 1) in die octava nativitatis i. e. in circumcisione Domini (cf. v. 1. cum Mat. 2, 3), 2) in Vigilia Epiphaniae (cf. v. 2. et 3.), 3) in festo ascensionis Domini (cf. v. 5. et 9.), 4) in festo dedicationis ecclesiae (quaelibet ecclesia sancta est, utpote quasi scabellum pedum Dei ob praesentiam Filii Dei in ss. Sacramento cf. v. 5), 5) in festis Apostolorum (Apostoli sunt sacerdotes N. T., ad quos Filius Dei loquebatur cf. v. 6. et 7.).

Psalmus C.

Occasio histor. Hunc ps. David sine dubio eo tempore composuit, quo jam electus erat rex duodecim tribuum et sedem suam in monte Sion fixerat (II. Reg. 5, 1-12). Ex v. 8. elucet, etiam arcam foederis jam translatam fuisse in montem Sion.

Argumentum. Ps. 100. est manifesta professio consiliorum, quae David in regimine suo exsecuturus erat, est quasi regula vitae, quam sequi voluit; nostro tempore diceretur, psalmum esse *programma* regiminis Davidici. Ergo in hoc ps. pii regis proposita enuntiantur et docetur, quales reges esse et quid facere debeant; ideo ps. juremerito passim ab exegetis *speculum regum* nominatur. In I. str. v. 1-4. psaltes regius enarrat, qualem modum agendi ipse praesertim pro persona sua sequatur; in II. str. v. 5-8. ostendit suam rationem agendi relate ad alios scil. describit conamina sua ad arcendos, compescendos et puniendos homines sceleratos atque ad adsciscendos justos in familiares et ministros suos.

Annotationes. V. 1. *misericordiam et judicium cantabo* (I. membr.)=benignitatem et justitiam Dei praedicabo. *tibi Domine psallam* (II. membr.)=te Domine celebrabo. *cantabo, psallam, intelligam* (v. 2.) est futur. cohortativum.

V. 2*a*. Sens.: attendam ad viam immaculatam (ad vitam immaculatam agendam), quandoque vel quodsi tu mihi venies auxilio. Propositio: *quando venies*... non est interrogativa, sed relativa vel

conditionalis. Bickell (l. c. p. 69) putat, textum originalem v. 2*a*. ita sonare: *sedulo causam innocentis agam; veniat illa coram me.*

V. 2*b*. Verba *proponebam, adhaesit* et reliqua imperfecta vel perfecta in hoc ps. modum agendi solitum et constantem indicant; in t. hebr. est futurum (imperf.), quod saepe actionem repetitam vel conditionem permanentem significat. *perambulabam*=ambulo (verbum compos. pro semplici). *in medio domus meae*=in vita mea privata.

V. 3 et 4. *non proponebam*=non pono. *praevaricatio*=transgressio legis divinae. *non adhaesit mihi cor pravum*=non habeo cor pravum; juxta alios=homini perverso non sum addictus. *non cognoscebam*=non agnosco, non aestimo.

V. 5. Sens.: illos, qui in occulto proximum suum calumniantur, castigo, cum superbis et avaris communionem habere nolo. *detrahere* h. l.=calumniari. *cum hoc non edebam*=hunc commensalem et familiarem habere nolo.

V. 6. Sens.: studeo, homines fideles et justos ad conversationem et societatem meam trahere, in ministros assumo tantum viros vitam immaculatam agentes. *sedere mecum*=commorari et conversari mecum.

V. 7. Sens.: inter familiares et domesticos meos non admitto homines insolentes, viri iniquos sermones proferentes non sunt mihi accepti eosque non admitto ad conspectum meum. *qui facit superbiam*=qui insolenter et injuriose agit; *non direxit; dirigere* h. l.=prosperum successum habere cf. ps. 101, 9. Is. 53, 10. 54, 17.

V. 8. Sens.: quovis mane omnes homines maleficos et sceleratos capitis condemno, ut ex civitate Domini (Jerusalem) exstirpem omnes, qui facinora committunt. *in matutino*=tempore matutino; juxta alios=tempestive seu sine mora.

Psalmus CI.

Auctor et occasio histor. Nomen auctoris in inscriptione psalmi non indicatur; attamen ex argumento cum certitudine conjici licet, auctorem fuisse Judaeum viventem in exilio babylonico (cf. praesertim vv. 14. 15. 17. 21. 29). Ex hoc etiam occasio et tempus, quo psalmus compositus est eruitur, nempe ad nostrum psalmum componendum miseria exilii et simul spes redemptionis ansam dedit. Ex v. 14. elucet, psalmum ultimis demum annis exilii conceptum esse.

Argumentum. In I. p. v. 2-12. psalmista nomine proprio et totius populi misericordiam Dei implorat, deinde miseram conditionem Israelitarum in exilio, quam sibi in poenam apostasiae a Deo adsciverunt, multis describit; in II. p. v. 13-23. in spem securam liberationis erectus plenam suam fiduciam enuntiat, fore ut urbs s. et templum reaedificentur omnesque populi et reges unitim in nova Sione vero Deo obsequium exhibeant; in III. p. v. 24-29. querelas et preces repetit at statim confisus in Dei omnipotentia, aeternitate et fidelitate firmam concipit spem, Sionem reaedificatum et a filiis Israel (spiritualib.) in perpetuum inhabitatum iri.

Sensus Messian. Ps. 101. adnumeratur quidem psalmis poenitentialibus et jure merito, quia totus spirat sensum poenitentiae et quasi *τὸ Miserere* populi Israelitici propter peccatum adulterii spiritualis (apostasiae a Deo) dici potest; attamen simul etiam sensum Messianicum prae se fert. Nam auctor s. talem ac tantam sperat et praedicit restitutionem Sionis, quae tempore postexilico solummodo in sensu valde imperfecto obtinuit, sensu autem pleno et perfecto tantum tempore Messian. ad executionem deducta est, nempe per fundationem ecclesiae christianae. Etenim in sola ecclesia cath. omnes populi et reges terrae conveniunt ad cultum vero Deo praestandum et solummodo in ecclesia Christi filii Israel spirituales in aeternum habitant (v. 29.), quod de urbe Hierosolyma in sensu proprio intellecta dici non potest. Imo Apostolus Hebr. 1, 10-12. verba nostri ps. a v. 26-28. **directe** ad Christum referre videtur, nam ex ipsis divinam Christi naturam demonstrat.

Annotationes. V. 1. *pauper*, de quo h. l. sermo fit, est vel ipse psalmista vel totus populus vel potius tum psalmista tum populus; cf. numer. plural. in vv. 15. 18. 21.

V. 2-3. H. l. habentur preces ex aliis psalmis repetitae.

V. 4. *defecerunt sicut fumus dies mei* = vita mea sicut fumus evanescit. *cremium* (a cremare) = sarmentum aridum; in hebr.: torris.

V. 5. Sens.: sicut herba demessa (foenum) statim arescit, ita vires meae propter inediam fere consumuntur et deficiunt.

V. 6. Sens.: ob nimiam aerumnam ad extremam maciem redactus sum cf. ps. 6, 7. 31, 3. 37, 10.

V. 7. Sens.: omnino derelictus sum. Pellicanus et nycticorax (= noctua, in vers. s. Hieron.: bubo) in solitudine vel in ruinis degunt, ideo sunt imago derelictionis. *in domicilio*, hebr.: *in ruinis*. Cf. s. Hieronymi ep. 106. ad Sunniam et Fretelam, n. 63.

V. 8. *vigilavi*=non possum dormire. *passer solitarius in tecto*=avis, quae pullis et nido orbata solitaria sedet in tecto.

V. 9. *qui laudabant me adversum me jurabant*=qui antea me laudabant, nunc conjurant contra me.

V. 10. Sens.: tristitia et fletus est mihi quasi panis quotidianus cf. ps. 41, 4. *cinis* indicat luctum et tristitiam.

V. 11. Sens.: in poenam peccatorum me a terra promissa abstulisti et in exilium rejecisti. *elevare*=extollere, extenuare, enervare, evellere; h. l. secunda vel tertia significatio praeferenda esse videtur. *allisisti*, in t. hebr.: projecisti.

V. 13. *memoriale tuum*=memoria tui.

V. 14. *venit tempus*, scil. tempus praedictum a Jeremia, quo exilium finietur cf. Jer. 25, 11. 29, 10. Ex his verbis cl. Patrizi deducere vult, hunc ps. ultimo anno exilii esse compositum (l. c. p. 273).

V. 15. Sens.: nos servi tui diligimus rudera Sionis et misericordia movemur ob ruinas terrae sanctae.

V. 16. Sens.: Sione reaedificata populi et reges terrae verum Deum timebunt et reverebuntur.

V. 17. Sens.: nam Dominus reaedificabit Sionem et in majestate et gloria sua apparebit. In t. hebr. est: *quum aedificaverit D.*

V. 19. Cf. ps. 21, 32. *scribantur haec in generatione altera* =haec quae de raedificatione Sionis praedicta sunt, conscribantur pro aetate futura. *populus, qui creabitur*=populus futurus. Novus Israel seu nova ecclesia in s. Scriptura saepe dicitur *nova creatio*, *nova creatura* cf. Gal. 6, 15.

V. 20. Haec verba in sensu typico de descensu Filii Dei in hanc terram intelligi possunt cf. ps. 84, 12.

V. 21. Cf. Is. 61, 1. Luc. 4, 17 sqq. *compediti*=captivi. *filii interemptorum* dicuntur exules, quia patres eorum in excidio Hierosolymae quoad majorem partem occisi sunt cf. Ez. 5, 12. In t. hebr. est: *filii mortis;* nam conditio Judaeorum in exilio saepe comparatur cum conditione mortuorum cf. Os. 13, 14. Ez. cap. 37.; et revera Israelitae in exilio **qua populus** quasi mortui erant.

V. 23. Sens.: cum populi et reges in unum conveniunt ad colendum Deum. Hoc autem in Sione antiqua nunquam obtinuit, sed tantum in Sione nova i. e. in ecclesia Christi complementum habet.

V. 24. *respondit ei in via virtutis suae*=pauper i. e. psalmista vel populus loquitur ad Deum modo valido; *respondere* h. l.

=loqui, vocem extollere. *in via virtutis suae*=modo forti seu valido. *paucitatem dierum meorum nuntia mihi*=indica mihi, quamdiu tempus vitae meae, quod ceteroquin parvum est, adhuc perduraturum sit. Alii hunc vers. ita explicant: quilibet, dum adhuc in plena possessione virium et in vigore vitae est, dicit Deo: indica mihi, quam parvum tempus vitae mihi adhuc remaneat.

V. 25. Psalmista petit prolongationem vitae pro se et conservationem populi usque ad liberationem ex exilio; quod Deus facile concedere et efficere potest *a)* propter suam aeternitatem (25*b*) *b)* propter suam omnipotentiam (v. 26) *c)* propter suam immutabilitatem (fidelitatem v. 27. 28).

V. 27. *peribunt* scil. quoad statum et formam praesentem cf. I. Cor. 7, 31 *(praeterit figura hujus mundi)* et Is. 65, 17.

V. 29. Haec verba in sens. imperf. de habitatione Israelitarum in Hierosolyma reaedificata, in sens. pleno autem de aeterna habitatione spiritualium filiorum Israel in nova Hierosolyma i. e. in ecclesia tum terrestri tum coelesti intelliguntur. *semen eorum in saeculum dirigetur*=posteri eorum aeterna prosperitate fruentur. *dirigi*=prosperitate gaudere.

Psalmus CII.

Auctor et occasio histor. Ps. 102. juxta inscriptionem tum in t. hebr. tum in versionibus antiquis Davidem habet auctorem. Quanam occasione vel quonam tempore eum composuerit, non potest indicari. Nonnulli putant, hunc ps. a Davide exaratum esse, postquam propheta Nathan ei annuntiavit, Deum peccatum adulterii et homicidii ab eo transtulisse cf. II. Reg. 12, 13. Alii autem contendunt, Davidem psalmum nostrum nomine totius populi theocratici composuisse eum in finem, ut in publico cultu Dei adhiberetur. Demum sunt qui dicunt, psalmum derivari ex tempore postexilico et esse gratiarum actionem pro liberatione populi Israel. ex captivitate babylonica. Utique argumentum psalmi etiam huic occasioni per se conveniret et non est improbabile, nostrum ps. tali animo post exilium recitatum esse; attamen haec non est ratio sufficiens ad infirmandam auctoritatem inscriptionis.

Argumentum. In I. p. v. 1-6. psalmista recenset beneficia Dei sibimet ipsi praestita pro iisque gratias agit; in II. p. v. 7-18. enumerat beneficia populo Israelit. a Deo exhibita; in III. p. v.

19-22. omnes creaturas rationales et irrationales adhortatur, ut Deum regnantem in coelo laudent ejusque dominium supremum et universale agnoscant.

V. 1. *ipsi David*=ab ipso Davide. *benedicere*=laudare, celebrare. *omnia, quae intra me sunt*=omnes facultates animae meae, seu: tota anima mea.

V. 2. *retributiones*=beneficia.

V. 3. *propitiatur omnibus iniquitatibus*=condonat seu remittit omnia peccata tua.

V. 4. *qui coronat te in misericordia et miserationibus*=qui circumdat te gratiis et miserationibus. *in*=cum.

V. 5*a*. Sens.: Deus gratiis et beneficiis suis omnia desideria tua adimplet.

V. 5*b*. Sens.: sicut aquila mutatione pennarum quolibet anno quasi renovatur et iterum juvenescit, ita anima gratiâ divina renovatur et regeneratur cf. ps. 50, 12. Nonnulli putant h. l. in sens. spirit. indicari innovationem et clarificationem corporis per resurrectionem. *ut aquilae*=instar aquilae.

V. 6. Transitus ad partem secundam. *judicium*=jus. *injuriam patientibus;* forsitan alluditur ad Israelitas ab Aegyptiis oppressos.

V. 7. Inde ab hoc v. sententia generalis in v. 6. enuntiata exemplis ex historia populi Israelit. illustratur. *vias suas*=consilia seu praecepta sua=*voluntates* s. in v. 7*b*.

V. 8. Allegantur verba, quibus Moyses Deum allocutus est, postquam cum novis tabulis legis in montem Sion ascendit (Ex. 34, 6).

V. 11. Sens.: sicut distantia coeli a terra definiri non potest, ita etiam misericordia Dei infinita est. *corroboravit misericordiam* =firmam seu efficacem fecit misericordiam. *timentes se*=cultores Dei.

V. 12. Sens.: Deus peccatores justificans peccata ex eorum anima omnino removet et delet. Ex h. l. elucet, justificationem non consistere in sola non-imputatione peccatorum, sed esse veram eorum remissionem et abolitionem cf. ps. 31, 1 sq. 50, 3. 11. *ortus* scil. solis.

V. 14. *figmentum nostrum*=natura nostra fragilis et debilis.

V. 15. Imagine ex rerum natura desumpta psalmista caducitatem et fragilitatem vitae humanae describit cf. Job. 14, 1-2. Is. 40, 6. I. Pet. 1, 24. *efflorebit*=deflorescet.

V. 16. Sens.: sicut flos aridus a quolibet flatu venti abripitur, ita etiam vita humana nullam firmitatem neque stabilitatem habet.

quoniam pertransibit = si transit. *in illo* = super illum. *et* = tunc. *non cognoscet locum suum* = non cognoscetur locus, in quo antea fuerit.

V. 17. *justitia* scil. ea, qua Deus homines justos facit i. e. gratia.

V. 18. *testamentum ejus* = foedus initum inter Deum et populum Israelit. *ad faciendum ea* = observantes ea.

V. 20. *potentes virtute* = insignes potentia; in hebr. est: heroes fortitudinis = angeli superioris ordinis in hierarchia coelesti, qui in N. T. dicuntur *potestates, principatus* etc. Cf. Eph. 1, 21. 3, 10. Col. 1, 16. I. Pet. 3, 22. *ad audiendam* = audientes.

V. 21. *virtutes ejus*, in t. hebr.: exercitus ejus i. e. angeli inferioris ordinis. In v. 20. et 21., uti patet, doctrina de existentia angelorum i. e. spirituum coelestium clare enuntiatur.

V. 22. *opera ejus* = creaturae irrationales. *in omni loco dominationis ejus* = in quocunque loco creaturae inveniuntur et ubicunque Deus dominium suum exercet; haec verba cum hemistichio praecedenti conjungi debent. *benedic anima mea Dominum;* iisdem verbis, quibus ps. incipit etiam clauditur; ideo his verbis cogitatio principalis seu quasi thema psalmi continetur.

Usus liturg. Ps. 102, recitatur: 1) in festo ascensionis Domini (cf. v. 19.), 2) in festis Angelorum (cf. v. 20. 21), 3) in processionibus pro gratiarum actione (cf. v. 2.), 4) sabbato per annum ad Matut. (gratiarum actio pro beneficiis divinis per totam hebdomadem obtentis), 5) v. 10. saepius occurrit in Missali tempore Quadragesimae (affectus animae poenitentis).

Psalmus CIV.

Auctor et occasio histor. Ex I. Paral. 16, 7. elucere videtur, Davidem esse auctorem versuum a 1-15.; si autem David hanc partem psalmi composuit, tunc pronum est concludere, etiam reliquam partem ab ipso derivari. Quum saltem versus 1-15. statim post translationem arcae foederis in montem Sion decantarentur (I. Par. 16, 8-22), certe ps. illo tempore jam compositus erat; utrum autem praecise pro hac occasione an jam antea compositus sit, ex l. c. non potest erui. Profecto expulsio Jebusaeorum, occupatio montis Sion et translatio arcae s. Dei fidelitatem et facta mirabilia in favorem populi theocratici patrata, quae in hoc ps. celebrantur, in memoriam revocare debuit.

Argumentum. In I. parte v. 1-7. psaltes invitat populares suos

ad Deum laudandum propter facta mirabilia tempore antiquo in favorem populi electi patrata; in II. p. v. 8-12. commemorat foedus, quod Deus inierat cum Abrahamo et vaticinium, quo patriarchis promisit, se eorum posteris terram Chanaan daturum esse; in III. p. v. 13-45. ex historia ostendit mirabilem providentiam, qua Deus populum suum protexit et istam promissionem ad executionem perduxit, et quidem *a)* tempore patriarcharum usque ad ingressum Jacobi in Aegyptum (v. 13-23), *b)* tempore commorationis populi Israel. in Aegypto (v. 24-36), *c)* in exitu ex Aegypto, in itinere per desertum, in occupatione terrae Chanaan (v. 37-45). Ex hoc argumento patet, psalmum nostrum esse historicum seu nationalem. Ab initio psalmi legitur vox *Alleluja* (hebr.: halelû Jâh=laudate Deum); unde elucet, eum pertinere etiam ad psalmos laudatorios.

Annotationes. V. 1. *confiteri*=laudare.

V. 3. *laudamini*=gloriamini. *quaerentes Dominum*=cultores Domini.

V. 4. *confirmamini*=confirmabimini. *quaerere faciem Domini*=quaerere praesentiam Domini seu unionem cum eo.

V. 5*b*. H. l. est constructio vitiosa, quia proprie genitivus poni deberet; vel certe aliud verbum, quod regit accusativum, supplendum esset. *prodigia*=facta. stupenda. *judicia*=praecepta.

V. 6. Ab initio ex v. praec. supplendum est verbum: *mementote*. *semen*=posteri. *servi* est genitiv. sing. *electi* est plural.

V. 7*b*. Supplend. est verbum: *valent* vel aliud simile.

V. 8. *testamentum*=foedus vel: promissio foedere firmata. *mandavit*=destinavit vel: valere fecit.

V. 9. *quod disposuit ad Abraham*=foedus quod pepigit cum Abrahamo, vel: verbum quod ad Abrah. direxit cf. Gen. 12, 7; 15, 18; 17, 7 sq. *juramenti sui ad Jsaak* cf. Gen. 26, 2 sqq.

V. 10. *statuit illud in praeceptum*=illud juramentum est consilium Dei firmum. *Jacob*, *Israel* est dativ.

V. 11. Cf. Gen. 28, 12-15. *funiculum hereditatis vestrae*=tanquam portionem hereditatis vobis assignatam. Apud Hebraeos singulae portiones terrae funiculo mensorio definiebantur.

V. 12. *numero brevi*=in parvo numero, seu: numero pauci. *incolae ejus*=tantum incolae (seu inquilini) terrae Chanaan, nondum possessores.

V. 13. Patriarchae, uti Abraham, Jacob, Joseph migrationibus suis famosi erant.

V. 14. *corripuit pro eis reges* cf. Gen. 12, 14 sqq.

V. 15. *christos meos*=patriarchas. *prophetis meis;* patriarchae etiam prophetae erant cf. Gen. 20, 7.

V. 16. Cf. Gen. 41, 54-57. *firmamentum panis;* panis est fulcrum seu sustentaculum vitae.

V. 18. Cf. Gen. 39, 20. *humiliaverunt in compedibus pedes ejus*=pedes ejus vinxerunt compedibus. *ferrum*=catena ferrea. *animam ejus*=personam ejus.

V. 19. *donec veniret verbum ejus*=donec ejus prophetia adimpleretur (Gen. cap. 40). *inflammavit eum*=inspiravit eum.

V. 20. *dimisit eum* scil. ex carcere Gen. 41, 14.

V. 22. *ut erudiret principes ejus sicut semetipsum*=ut principes terrae Aegypti ita instrueret et excoleret, sicut ipse excultus erat. *sicut semetipsum*, in hebr.: ad arbitrium suum.

V. 23. Cf. Gen. cap. 46. *terra Cham*=Aegyptus; nam Aegyptii erant posteri Cham.

V. 24. Cf. Ex. 1, 7. *firmavit eum super inimicos*=potentiorem inimicis ejus fecit.

V. 25. Cf. Ex. 1, 10 sqq. *convertit cor eorum*=mutavit animum Aegyptiorum. *ejus*=Dei.

V. 27. *posuit in eis verba signorum*=patravit inter Aegyptios miracula. *verba* h. l.=facta (hebraism.).

V. 28. Cf. Ex. 10, 21 sq. *non exacerbavit sermones suos*=sermones Dei non erant acerbi.

V. 29. Cf. Ex. 7, 19 sqq. Commemoratur prima plaga.

V. 30. Cf. Ex. 8, 2 sqq. Indicatur secunda plaga.

V. 31. Cf. Ex. 8, 16 sqq. Tertia et quarta plaga. *coenomya* in gr.: *κυνόμυια*=musca canina. *sciniphes*, in gr. *κνῖφες*=culices.

V. 32. Cf. Ex. 9, 23 sqq. *posuit pluvias eorum grandinem*=loco pluviae grando de coelo venit. *ignem comburentem*=fulgura.

V. 33. *lignum finium eorum*=arbores regionis eorum.

V. 34. Cf. Ex. 10, 4 sqq. Plaga octava. *bruchus*=species locustarum.

V. 36. Cf. Ex. 12, 29. Plaga decima. *primitiae omnis laboris*=filii primogeniti, quia in eorum educatione magnam curam et laborem adhibuerunt.

V. 37. Cf. Ex. 12, 35. 13, 18.

V. 39. Cf. Ex. 13, 21 sq. Columna nubis et ignis.

V. 40. Cf. Ex. 16, 13 sqq. *panis coeli*=Manna.

V. 41. Cf. Num. 20, 11, *abierunt in sicco flumina*=in loco arido seu in deserto manarunt flumina aquarum.

V. 42. Cf. Gen. 17, 7. *verbi sui*=pacti sui seu promissionis suae.

V. 44. *labores*=id quod labore acquisitum est=proprietas.

V. 45. *justificationes*=praecepta. *requirere*=observare.

Psalmus CVIII.

Occasio histor. Ex argumento eruitur, Davidem hunc ps. composuisse eo tempore, quo multas persecutiones ex parte adversariorum sustinere debuit; quisnam autem fuerit ille inimicus insignis, contra quem prae aliis invehitur, utrum Saul, an Achitophel (II. Reg. 15, 31), an Doeg (I. Reg. 22, 9 sqq), an Semei (II. Reg. 16, 1 sqq), an alius quidam, determinari non potest.

Argumentum. In I. parte v. 1-5. David amare conqueritur propter odium et calumnias, quibus adversarii ipsum persequuntur; in II. p. v. 6-15. profert praedictiones et imprecationes malorum contra unum adversarium prae ceteris insignem; in III. p. v. 16-20. describit persecutiones, quas ex parte hujus inimici expertus est; in IV. p. v. 21-29. Deum precatur, ut ipsum ab insidiis adversariorum liberare, eosque confundere velit; demum in conclusione v. 30 sq. promittit, se pro auxilio divino obtento laudem Dei publice celebraturum esse.

David in hoc ps. non qua persona privata vel nomine proprio loquitur, sed (qua auctor inspiratus) nomine Dei et tanquam persona typica, quatenus ipse multis persecutionibus exagitatus typum Christi gessit. Ceterum psalmista in hunc finem ita acriter contra inimicos theocratiae et regis theocratici invehitur eorumque castigationem exoptat: 1) ut illorum poena et castigatione alii impii a peccatis deterreantur, 2) ut justi a vexationibus impiorum liberentur, 3) ut gloria Dei contra conamina impiorum vindicetur, 4) ut justi perverso impiorum exemplo non corrumpantur (vid. Calmet., commentar. ad ps. 34). Insuper ss. Patres saepe advertunt, istas imprecationes esse potius prophetias quam exoptationes malorum; e. gr. s. Augustinus (Enarrat. ad ps. 34) dicit: *ea quae figura optandi dicuntur animo prophetandi explicantur.* Ita etiam Theodoretus in comment. ad ps. 34. addit, Davidem nequaquam proprie desiderasse inimicorum suorum interitum, sed prophetiae

spiritu inflatum eum dumtaxat esse vaticinatum. Revera illas imprecationes esse vaticinia ex eo elucet, quod s. Petrus Judae proditoris Judaeorumque poenas in ps. 68. et 108. sub imprecatoriis verbis vidit praedictas cf. Act. 1, 20. His consideratis omnis difficultas in hoc ps. imprecatorio exponendo evanescit.

Annotationes. V. 2. Sens.: rogo te, ut laudem meam manifestes et innocentiam meam publice ostendas, quia impii me calumniantur et honorem mihi detrahunt. *laudem meam ne tacueris;* haec verba nonnulli ita explicant: respice ad laudem, qua te celebro. In t. hebr. ita legitur: Deus (objectum) hymnorum meorum ne taceas (scil. ad opprobria inimicorum meorum).

V. 3. *expugnaverunt me gratis*=impugnant me sine causa.

V. 4. *pro eo ut me diligerent;* t. hebr. habet: pro meo amore.

V. 5*a*. Sens.: retribuunt mihi malum pro bono.

V. 6. Sens.: manda hominem impium, qui stet contra eum uti adversarius seu accusator in judicio. *diabolus*=adversarius generatim, h. l. speciatim: adversarius in judicio. *a dexteris ejus;* apud Hebraeos adversarius seu accusator in judicio stabat a dexteris accusati cf. Zach. 3, 1.

V. 7. Sens.: in judicio reus declaretur et condemnetur eiusque preces imputentur ipsi in peccatum, utpote quae non sunt preces sincerae sed tantum timore poenae divinae extortae.

V. 8. Sens.: sit vita ejus brevis, perdat munus et dignitatem suam. *episcopatus* (inspectoratus)=munus generatim, praesertim munus praepositi seu praesidis. Apostol. Petrus Act. 1, 20. versum 8*b*. ad Judam proditorem refert, qui munus Apostoli (episcopatus=apostolatus) perdidit.

V. 9. Sens.: praematura morte abripiatur, ita ut filii ejus fiant orphani et uxor ejus vidua. Nonnulli ss. Patres hoc explicant de synagoga, quae post Christi mortem vidua facta i. e. a Deo sponso suo derelicta est, cujus filii nempe Judaei orphani facti sunt per legis abrogationem, templi eversionem et nationis dispersionem.

V. 10. Sens.: filii ejus ejiciantur e domibus suis, ita ut profugi vagari et mendicare debeant. *nutantes*=instabiles seu profugi. *transferantur*=se transferant i. e. vagentur.

V. 11. Sens.: omnibus bonis suis privetur. *scrutetur*=exquirat et auferat. *labores ejus*=facultates labore acquisitae.

V. 13. Sens.: pereant filii ejus et nomen ipsius non propagetur ad generationem alteram.

V. 14. Sens.: poenam luat non tantum pro peccatis propriis sed etiam pro peccatis parentum suorum. Haec verba in sensu typico referuntur ad nationem Judaicam, quae altera generatione post Christicidium in excidio Hierosolymae pro illo scelere matris suae i. e. synagogae poenam luere debuit cf. Mat. 27, 25.

V. 15. Sens.: peccata parentum ipsius sint semper coram oculis Domini et eorum memoria omnino deleatur. *contra*=coram.

V. 17. *mendicum*=pauperem. *compunctum corde*=afflictum. *mortificare*=ut eum interficiat.

V. 18. Sens.: quia adversarius meus amat maledictionem, ideo benedictio procul abest ab eo et maledictio venit super eum, ita ut ab illa interius et exterius imbuatur. *elongabitur ab eo*=procul est ab eo. *intravit sicut aqua interiora ejus;* imago desumpta esse videtur ab aquis zelotypiae, quas uxor de adulterio suspecta bibere debuit (Num. 5, 12 sqq). *sicut oleum in ossibus ejus*=maledictio intrat in animam ejus sicut oleum, quo quis ungitur, in ipsa ossa penetrat.

V. 19. Sens.: maledictio nunquam recedat ab eo.

V. 20. *opus eorum*=fructus operis seu merces (poena).

V. 21. *fac mecum*=causam meam age, vel: fac mecum *misericordiam* prout nonulli ss. Patres scribunt; hoc idem legitur etiam in vers. Coptica (Raffl, die Psalmen, Friburgi i. Br. 1892, vol. III. pag. 23).

V. 22. *ablatus sum*=evanesco. *excussus sum*=huc illucve agitor sicut locusta quae de loco in locum transilit.

V. 24. Sens.: vires meae debilitatae sunt et corpus meum macie confectum est propter jejunium. *caro mea immutata est propter oleum*=corpus meum in pejus mutatum est propter **defectum** olei (ita legitur in vers. Copt. vid. Raffl, l. c. p. 24); scil. jejunantes omittebunt unctionem, quae tantum in laetis conviviis in usu erat. In t. hebr. est: caro mea deficit, ut non amplius sit pinguis.

V. 25. Pro praet. praes. poni debet. *moverunt capita* cf. ps. 21, 8.

V. 27. Sens.: quodsi me liberaveris, adversarii mei cognoscent, hoc auxilio tuo factum esse. *manus tua*=operatio tua, auxilium tuum. *eam*=id (hebraism.: foemin. pro neutro).

V. 28. Sens.: adversarii mei maledicunt mihi, tu autem benedicis; ideo illi confundentur, ego vero laetabor.

V. 29. Sens.: adversarii, qui me calumniantur, undequaque ignominia et confusione afficiantur. *diploide*=pallio.

V. 30. *nimis*=valde. *in medio multorum*=*in ecclesia magna*; *in medio ecclesiae* in ps. 21, 23. 26.

V. 21. *pauperis*=mei, qui miser et pauper sum cf. ps. 33, 7.

Nota. Ps. 108. in liturgia ecclesiast. raro occurrit; nam totus ps. tantum sabbato ad Matut. et in festo 7 dolorum B. Mariae V. recitatur.

Psalmus CIX.

Auctor, tempus et occasio compositionis. Auctorem hujus ps. esse Davidem elucet: 1) ex inscriptione in v. 1; 2) ex testimonio Christi Mat. 22, 43 sq.; 3) ex testimonio Apostoli Petri Act. 2, 34. David hunc ps. absque dubio post translationem arcae foederis in montem Sion et quidem eo tempore, quo ipsius regnum maxime florebat, composuit, (cf. v. 2.). Occasionem hujus ps. componendi probabiliter sumpsit ab illa promissione divina de regno Davidico in aeternum duraturo, quae Davidi per prophetam Nathan annuntiata est (II. Reg. 7, 12-16).

Argumentum. In ps. 109., qui a s. Augustino dicitur *brevis numero verborum, magnus pondere sententiarum* (Enarratio in ps. 109. n. 1), Messias propter passionem suam glorificatus uti summus rex, sacerdos et judex celebratur. Psalmus in duas strophas dividi potest. In I. str. v. 1-4. praedicatur dignitas Messiae *a)* regia et divina (v. 1-3), *b)* sacerdotalis (v. 4.); in II. str. v. 5-7. celebratur absoluta potentia Messiae triplici modo sese manifestans: *a)* victoria de omnibus inimicis regni Messianici reportata (v. 5), *b)* judicio universali de omnibus hominibus instituto (v. 6), *c)* exaltatione aeterna ad dexteram Dei Patris (v. 7). In I. str. psalmista inducit Deum Patrem loquentem ad Christum, in II. str. ipse psalmista loquitur ad Deum Patrem **de** Christo.

Sensus Messianicus. Hunc ps. directe ad Messiam esse referendum probatur:

1) **Ex s. Scriptura N. T.** et quidem *a)* ex verbis Christi (Mat. 22, 42 sqq. Marc. 12, 36. Luc. 20, 41 sqq.), *b)* ex verbis Apostoli Petri (Act. 2, 32-36), *c)* ex verbis Apostoli Pauli (I. Cor. 15, 25. Hebr. 1, 13. 7, 17).

2) **Ex consensu unanimi ss. Patrum.** E. gr. s. Cyprianus (epist. ad Caecil., de Sacram. domin. calicis) dicit: *quod autem Melchisedek typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus s. ex*

persona Patris ad Filium dicens: tu es sacerdos in aeternum..... S. Augustinus (de Civitate Dei l. 17. c. 17.) contendit, *non solum infideliter et infeliciter, sed etiam impudenter* negari, nostrum ps. esse Messianicum, et singulos versus de Christo explicat; hoc idem facit etiam Theodoretus (in commentar.). Lactantius (Institut. divin. adv. gentes l. 4. c. 12) ita loquitur: *propheta David cum rex esset quem appellare dominum suum posset, nisi Christum Filium Dei, qui est rex regum et dominus dominantium?*

3) **Ex traditione Judaeorum,** quae ex libris ss. N. T. et ex Talmud erui potest. Haec traditio ante tempus Christ erat communis inter Judaeos, postea autem a multis ex odio Christianorum rejecta est. Cf. Reinke, d. Messian. Psalmen, II. p. 153 sqq.

4) **Ex materia substrata** seu ex ipsis verbis psalmi, quae ad nullum alium nisi ad Messiam referri possunt. Nam solus Christus est: *a)* Dominus Davidis (v. 1.), *b)* triumphator de omnibus omnino inimicis (v. 2*b*. et 5.), *c)* fundator regni universalis (v. 2. 3*a*.), *d)* particeps potestatis divinae (v. 1*a*.), *e)* sacerdos in aeternum (v. 4.), *f)* judex universalis (v. 6.).

Annotationes. V. 1. Psaltes regius visionem propheticam describit, in qua Messiam conspexit exaltatum ad dexteram Dei et simul audivit vocem Dei Patris loquentis ad Filium. *dixit Dominus;* in t. hebr.: legitur: effatum Domini. *Dominus*=Deus Pater. *Domino meo*=Filio Dei incarnato, qui est Dominus Davidis et simul ejus Filius cf. Mat. 22, 44 sq. *sede a dexteris meis*; sessio ad dexteram Dei consortium potestatis et dignitatis divinae indicat; ideo Apostolus ad Hebr. 1, 13. ex his verbis divinitatem Christi demonstrat. Post passionem suam Christus etiam qua homo per resurrectionem, ascensionem et sessionem ad dexteram Dei glorificatus et divinae naturae consors factus est cf. Mat. 26, 64. Act. 7, 55. Eph. 1, 20 sqq. Hebr. 10, 12 sq. I. Pet. 3, 22. *donec ponam inimicos....;* particula **donec** post affirmationem non semper negat consequens, et post negationem non semper affirmat consequens cf. Gen. 8, 7. II. Reg. 6, 23. Mat. 1, 25. Ideo h. l. **donec** non exclusive sumi debet; nam Chr. etiam **post** completam subjectionem inimicorum adhuc regnabit et sedebit ad dexteram Dei Patris. Si autem certus et definitus **modus** regnandi scil. pugna et victoria de inimicis intelligitur, tunc utique dici potest, Christum **tale** imperium in consummatione saeculi depositurum esse cf. I. Cor. 15, 24 sqq.

V. 2*a*. Sens.: regnum tuum potentissimum ex Sione in omnem ter-

ram dilatabitur. *virga virtutis*=sceptrum seu regnum potentissimum. *ex Sione;* regnum Christi revera in Sione i. e. Hierosolymae initium sumpsit indeque in totum orbem propagatum est cf. Mich. 4, 2. Luc. 24, 47.

V. 2*b*. Sens.: Christus in ecclesia sua usque ad consummationem saeculorum dominatur, attamen continuo pugnare debet contra adversarios ecclesiae. *dominare*=dominaberis.

V. 3. *tecum principium*=tu habes principatum (in vers. gr. ἀρχή). *in die virtutis tuae (δυνάμεως)*=tempore potentiae et gloriae tuae; istud tempus gloriae pro Christo incepit, quando ascendit ad dexteram Patris. *in splendoribus sanctorum*=circumdatus splendido exercitu sanctorum; juxta alios=in splendore sanctitatis tuae. V. 3*b*. **causa** principatus et potentiae Messiae indicatur. *ex utero* =ex intima divinitatis substantia. *ante luciferum*=ante omnem creaturam i. e. ab aeternitate. *Lucifer nominatus est pro sideribus..... quod est ante sidera hoc est ante tempora; si ergo ante tempora, ab aeternitate* (S. Augustin., Enarratio in ps. 109. n. 16.). Ideo h. l. filiatio *(υἱοθεσία)* Christi divina seu ejus generatio aeterna ex substantia Dei Patris enuntiatur, sicut in ps. 2, 7. Sed text. masoreth. in v. 3. aliam lectionem habet; juxta t. masoreth. v. 3. ita sonat: *populus tuus promptissimus est in die expeditionis tuae in ornatu sancto, ex utero aurorae tibi (provenit) ros juventutis tuae.* Attamen t. hebr. h. l. manifeste corruptus est: ideo lectio versionum antiquissimarum scil. Alexandrinae et Syriacae praeferenda est.

V. 4. *juravit Dominus*=est decretum Dei firmissimum et gravissimum. *tu es sacerdos in aeternum;* cf. Hebr. 5, 5 sq. 7, 24 sq. *secundum ordinem Melchisedek,* suppl.: non secundum ordinem Aaronis. Eminentia sacerdotii Christi prae sacerdotio Aaronico aestimatur juxta ejus relationem ad sacerdotium Melchisedeki. Ordo Melchisedek ab ordine seu sacerdotio Aaronis in multis distinguitur, praesertim: 1) quoad successionem (Aaron successione carnali, Melchis. successione spirituali sacerdos erat cf. Hebr. 7, 3); 2) quoad ambitum (Aaron tantum sacerdos pro populo Israel., Melchis. sacerdos universalis); 3) quoad materiam sacrificii cf. Gen. 14, 18; 4) quoad locum cultus (Aaron solummodo in unico loco i. e. in tabernaculo, Melchis. ubique locorum sacrificare potuit); 5) quoad dignitatem (Aaron tantum sacerdos, Melchis. sacerdos et rex erat Gen. 14, 18. Hebr. 7, 4 sqq. 20 sqq.). Christus dicitur *sacerdos se-*

cundum ordinem Melchisedek, quia ejus sacerdotium sacerdotio Melchisedeki praefiguratum est ideoque omnibus praerogativis hujus sacerdotii modo multo sublimiore gaudet.

V. 5. Sens.: Dominus i. e. Messias locum tenens ad dexteram Dei potentia sua divina plenam victoriam de omnibus adversariis suis reportat cf. ps. 2, 9. Apoc. 6, 15 sqq. *confregit*=confringit. *in die irae*=tempore judicii; intelligitur judicium Messianicum generatim, in specie autem judicium ultimum et universale. *reges;* Messias praeprimis reges et principes rebelles humiliabit et castigabit, deinde etiam populos adversos judicabit et mulctabit, quod in v. seq. indicatur cf. ps. 2, 5. 9.

V. 6. Sens.: Messias judicium de omnibus populis habebit et adversariis regni sui interitum parabit. *implebit ruinas*; in t. hebr.: implebit cadaveribus (scil. terram). In vers. 70 est vox *πτῶμα* (al. *πτώματα*), quod ruinam, cladem vel etiam cadaver (cadavera) significare potest. *conquassabit capita*=humiliabit et confringet capita adversariorum. *in terra multorum*=in magna parte terrae (ita in t. hebr.); in vers. 70: *ἐπὶ γῆν πολλήν.*

V. 7. *de torrente in via bibet*=se ipsum humiliabit in opere suo perficiendo. SS. Patres sub *torrente* humiliationem et passionem Christi intelligunt (S. Augustin., Enarrat. in ps. 109. n. 20). *propterea exaltabit caput*=Messias propter suam humiliationem exaltabitur et glorificabitur cf. Philip. 2, 8 sq. Hebr. 2, 9. Luc. 24, 26. Inter verba: *conquassabit capita,* et: *exaltabit caput*, est antithesis; nempe Christus humiliatis capitibus inimicorum **suum** caput exaltavit.

Usus liturg. Ps. 109. recitatur: 1) die Dominica ad Vesperas, quia dies Dominica memoriae Christi resuscitati et glorificati dedicata est; 2) in Vesperis festorum D. N. J. Christi, quia in hoc ps. momenta principalia ex vita, efficacitate et glorificatione Christi indicantur: 3) in Vesperis Sanctorum, quia Christus glorificatus *splendoribus sanctorum* circumdatus est; 4) v. 3. in I. missa nativitatis Domini occurrit et ad generationem Christi aeternam ex substantia Dei Patris refertur.

Psalmus CX.

Observatio praevia. Hic ps. ex una parte ad hymnos ex altera parte ad psalmos didacticos seu sapientiales pertinet (cf. v. 10). Inscriptio; *Alleluia* (laudate Dominum) indicat, psalmum in liturgia

adhibitum esse. Auctor et occasio histor. ignorantur. Verumtamen conjectura, nostrum ps. post reditum ex exilio ab aliquo sacerdote vel Levita ad erigendam fiduciam populi compositum esse, non videtur improbabilis. Quoad formam poeticam psalmus 110. pertinet ad s. d. alphabeticos scil. singula membra incipiunt juxta ordinem a singulis litteris Alphabeti.

Argumentum. In exordio v. 1. psalmista nomine communitatis religiosae consilium suum manifestat Deum laudandi in congregatione s.; in I. parte v. 2-7*a*. celebrat potentiam, benignitatem aliasque perfectiones Dei in historia populi Israelit. manifestatas; in II. p. v. 7*b*-9. describit Dei fidelitatem et justitiam manifestatas in lege lata et in foedere servato; demum in conclusione v. 10. commendat timorem Dei tamquam initium verae sapientiae.

Annotationes. V. 1. *confitebor tibi*=laudabo te. *in consilio*= in concilio.

V. 2. *exquisita in omnes voluntates ejus*=opera Dei omnino correspondent consiliis voluntatis ejus.

V. 3. *confessio et magnificentia opus ejus*=opera Dei laudabilia et magnifica sunt.

V. 4. *memoriam fecit mirabilium suorum*=praecepit, ut memoria factorum mirabilium conservaretur, scil. institutione festorum praesertim festi Paschatis.

V. 5. *escam dedit timentibus se*=victum dedit cultoribus suis. *esca*=manna. *memor erit in saeculum testamenti sui*=Deus semper recordatur foederis sui, quod iniit cum populo Israelit.

V. 6. *virtutem*=potentiam. *annuntiabit*=manifestavit.

V. 7. *ut det illis hereditatem gentium*=Deus potentiam suam eum in finem manifestavit, ut populo Israel. daret terram Chanaan, quae antea in possessione aliarum gentium erat. *opera manuum ejus veritas et judicium*=facta Dei omnia fidelia et justa sunt.

V. 8. Sens.: leges divinae firmae et permanentes sunt.

V. 9. *redemptionem*=scil. ex servitute aegyptiaca et ex exilio babylonico. *mandavit in aeternum testamentum suum*=disposuit, ut foedus suum cum populo perduraret in aeternum; quod utique in sensu pleno tantum de novo et aeterno Testamento valet.

V. 10. *timor Domini initium sapientiae;* timor Domini eatenus initium verae sapientiae est, quatenus nos retinet a peccatis et excitat ad observationem legis divinae, donec ab initio sapientiae ad ejus finem et complementum i. e. a timore ad amorem Domini

perveniamus. *intellectus bonus*=intelligentia vera. *facientibus eum* =habentibus eum scil. timorem Domini, vel agentibus juxta eum. *laudatio ejus*=laus et gloria Dei.

Sensus spiritualis et usus liturg. Ps. 110. in sensu typico seu spirituali ad Christum et ecclesiam ipsius referri potest. Magna sunt miracula gratiae quae Deus per Christum et in ecclesia Christi perfecit (v. 2.); nam Chr. nos liberavit ex servitute peccati et diaboli (v. 9.) nobisque terram promissam i. e. coelum tanquam hereditatem assignavit (v. 7.); ipse dedit nobis escam spiritualem in ss. eucharistiae Sacramento (v. 5.), quo instituto vivam nobis memoriam reliquit rerum mirabilium, quae ad redemptionem nostram perfecit (v. 4); foedus, quod Chr. inter Deum et genus humanum sancivit fidele est et aeternum (v. 9); observatio hujus foederis i. e. observatio mandatorum Dei est vera sapientia et *intellectus bonus* (v. 10). Considerato sensu typico nostri psalmi jam patet, quonam animo et spiritu recitari debeat *a)* in Vesperis Dominicae, *b)* in Vesperis festorum Domini, *c)* in Vesperis Sanctorum scil. Apostolorum, Martyrum et Confessorum.

Psalmus CXI.

Observatio praevia. In vers. Vulg. legitur inscriptio: *Alleluja reversionis Aggaei et Zachariae*=canticum liturgicum eorum qui cum Aggaeo et Zacharia ex Babylonia reversi sunt. Haec verba indicare videntur, psalmum compositum esse post reditum Judaeorum ex captivitate Babylonica tempore prophetarum Aggaei et Zachariae et forsitan ab uno ex istis prophetis. Attamen haec inscriptio dubiae auctoritatis est, nam tantum in Vulg. et in paucis codicibus versionis graecae invenitur; insuper etiam ipse sensus inscriptionis ambiguus est. Nihilominus conjectura, psalmum derivari ex tempore postexilico, non est improbabilis. Quoad formam poeticam ps. noster omnino correspondet praecedenti; nam est alphabeticus et eundem numerum versuum et membrorum habet, sicut ps. 110. Etiam quoad argumentum ambo psalmi in arcto nexu positi sunt; nam ps. 111. est fere continuatio praecedentis vel potius fusior explicatio versus 10. psalmi 110.

Argumentum. In v. 1. thema psalmi indicatur, nempe celebratur justitia hominis pii et justi; in I. p. v. 2-4. indicantur fructus hujus justitiae, qui praesertim sequentes sunt: *a)* posteritas potens

et largiter benedicta (v. 2), *b)* gloria et opulentia familiae (v. 3*a*), *c)* merces justitiae in aeternum perdurans (v. 3*b*), *d)* consolatio et auxilium divinum in rebus adversis (v. 4); in II. p. v. 5-9. describitur beneficentia viri justi ejusque misericordia erga pauperes et remuneratio divina inde sequens; in conclus. v. 10. per antithesin infelicitas et interitus impiorum paucis verbis illustratur.

Annotationes. V. 1. *in mandatis ejus volet nimis*=praeceptis divinis implendis valde delectatur.

V. 3. Sens.: justus bona temporalia et spiritualia a Deo accipiet. *justitia ejus*=merces justitiae; juxta alios=status gratiae divinae.

V. 4*a*. Sens.: in tribulationibus et calamitatibus justi a Deo consolationem et auxilium obtinent.

V. 4*b*. Sens.: nam Deus benignus, misericors et justus est.

V. 5. *jucundus*=Deo gratus, beatus. *commodare*=mutuum dare. *disponet sermones suos in judicio*=sermones suos profert cum maturo judicio et prudentia; juxta alios (Hoberg, l. c. p. 329)=res suas ex misericordia modo justo dispensat. Juxta hanc explicationem vox *sermones* per hebraism. esset=res. T. hebr. ita verti potest: tuebitur causas suas in judicio.

V. 6. *non commovebitur*=non nutabit, firmus stabit.

V. 7. *in memoria aeterna erit justus*=justus semper in bona memoria erit tum apud coaevos tum apud posteros. *auditio mala*=nuntius calamitatis vel=calumnia.

V. 8. Sens.: justus fiducia in protectione divina confirmatus securus est, ita ut insidias inimicorum despicere possit.

V. 9. *dispersit, dedit pauperibus*=justus bona sua largiter distribuit pauperibus. *justitia ejus* =eleemosyna seu beneficentia ejus, vel potius: meritum eleemosynae; cf. II. Cor. 9, 9 sq., ubi Apostolus verba hujus vers. allegat ad commendandam beneficentiam; cf. etiam Tob. 14, 11. Mat. 6, 1. Juxta alios *justitia* h. l.=gratia coram Deo. *cornu ejus exaltabitur in gloria*=potentia justi multum augetur in ipsius honorem.

V. 10. *videbit* scil. beatitudinem et honorem justi. *tabescet*=prae invidia quasi tabe consumitur. *desiderium peccatorum peribit* =desideria et concupiscentiae impiorum non adimplentur; seu: id quod peccatores desiderant peribit et ad nihilum redigetur. S. Augustinus verba hujus vers. de condemnatis in inferno intelligit, qui in furore et disperatione sua videbunt jstorum in coelis beatitudinem.

Sensus spiritualis et usus liturg. In sens. spirit. hic ps. refertur ad Christum, justum per eminentiam, qui venit in hunc mundum, ut faceret voluntatem Patris sui (v. 1), qui exortus est in tenebris hujus mundi tanquam lumen magnum (v. 4), qui pertransiit benefaciendo (cf. Act. 10, 38. cum v. 9), qui in ecclesia sua semen potens i. e. numerosam posteritatem spiritualem reliquit (v. 2); ideo ps. noster juremerito in festis Domini ad Vesperas recitatur. Sed ps. 111. etiam ad sectatores Christi, ad homines sanctos, applicari potest; nam sancti in coelo vere beati snnt (v. 1.), semen potens habent in illis, qui eorum exempla sequuntur (v. 2.), justitia eorum manet in aeternum (v. 3.), ipsis lucet lumen gloriae coelestis nempe Deus misericors, miserator et iustus (v. 4.), et memoria eorum perdurat in sempiternum; ex hac causa ps. recitatur in Vesperis Sanctorum scil. Apostolorum, Martyrum et Confessorum.

Psalmus CXII.

Observatio praevia. Auctor, a quo vel tempus, quo hic ps. compositus est, nullibi indicatur; probabiliter ex tempore postexilico derivatur. Inscriptio ex sola voce *alleluja* constat. Sex psalmi, qui hanc inscriptionem habent, scil. 112-117. Hallel magnum vel juxta alios Hallel aegyptiacum nominantur et a Judaeis in festo Encaeniorum, in Noemeniis atque in solemnitate Paschatis recitabantur, praesertim in illa nocte, qua agnus paschalis manducabatur.

Argumentum. In I. str. v. 1-3. psalmista servos Dei i. e. omnes pios cultores Dei adhortatur, ut omni tempore et ubique locorum Deum laudent; in II. str. v. 4-6. dominium universale, majestatem et celsitudinem Dei celebrat; in III, str. v. 7-9. Deum glorificat propter ipsius demissionem benignam ad homines et propter providentiam specialem erga pauperes humiles atque a mundo contemptos.

Sensus spiritualis. Nonnulli ss. Patres hunc ps. de descensu Filii Dei in has terras intelligunt, qui ea de causa e coelis altissimis in hunc mundum se demisit, ut genus humanum e coeno peccatorum (cf. v. 7.) elevaret ad statum filiorum Dei et constitueret ecclesiam matrem multorum filiorum laetantem (v. 9). Inter omnes homines B. V. Maria maxime exaltata est a Deo et elevata ex statu ignobilitatis ad dignitatem matris divini Salvatoris;

ideo non est mirum, quod ipsa in suo cantico *Magnificat* ad verba nostri ps. alludit cf. vv. 6-9. cum Luc. 1, 48. 52. 53.

Annotationes. V. 1. *pueri*=servi Dei. In triplici invitatione ad Deum laudandum (v. 1. et 2.) nonnulli conspiciunt allusionem ad mysterium ss. Trinitatis.

V. 3. Sens.: ubique locorum laudis divinae materia et incitamentum invenitur.

V. 4*a*. Sens.: Deus dominium habet super omnes gentes utpote quia excelsior est omnibus gentibus.

V. 4*b*. Sens.: Deus gloria sua omnes creaturas et ipsos coelos in infinitum superat.

V. 5. et 6. Cf. ps. 137, 6. Sens.: nemo Deo similis est neque in coelo neque in terra; sed etiamsi ipse celsissimus sit, tamen ad humilia respicit eorumque curam habet. Sententia ita disponi debet: *quis sicut Dominus Deus noster in coelo et in terra, qui in altis habitat et humilia respicit?*

V. 7. et 8. Cf. canticum Annae I. Reg. 2, 8. Deus praesertim in eo sapientiam et bonitatem suam ostendit, quod illos qui coram mundo humiles et inopes sunt elevat et organa voluntatis suae exequendae constituit (cf. I. Cor. 1, 27 sq); sic e. gr. Josephum e carcere, Davidem e loco pascuae, Danielem e lacu leonum ad dignitatem principalem elevavit. Sed verba hujus v. etiam ad totum genus humanum referri possunt, quatenus Deus gratia sua homines elevavit et exaltavit ad dignitatem principalem filiorum Dei.

V. 9. Cf. I. Reg. 2, 5. Sens.: qui facit, ut hera antea sterilis habitet in domo sua uti laeta mater filiorum. In sens. litter. intelliguntur nonnullae feminae V. T., uti Sara, Rebecca, Rachel, Anna, quae ex natura steriles erant, sed gratia Dei matres filiorum laetantes factae sunt; in sens. spirit. intelligi potest ecclesia Christi primitiva, quae propter incredulitatem Judaeorum sterilis esse videbatur, postea autem per conversionem gentium mater multorum populorum facta est cf. Is. 54, 1. Gal. 4, 27.

Usus liturg. Ps. 112. recitatur: 1) in Vesperis Dominicae (cf. v. 1. et 2.); 2) in Vesperis festorum Domini (Filius Dei ex altitudine coeli se demisit et in hanc terram descendit humilians semetipsum, ut nos suscitaret e coeno peccatorum cf. v. 6-7.); 3) in Vesperis festorum B. Mariae V. (Deus humilem Virginem exaltavit eamque fecit matrem laetantem multorum filiorum cf. v. 6-9); 4) in Vesperis ss. Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Virgi-

num (etiam isti Sancti a Deo miro modo exaltati et cum principibus coeli collocati sunt cf. v. 6-8); 5) in sepultura parvulorum (cf. v. 1).

Psalmus CXIII.

Observatio praevia. Ps., qui in vers. 70 et Vulg. 113. est, juxta computationem Hebraeorum duos constituit psalmos nempe 114. et 115. Vestigium hujus divisionis etiam in editionibus Vulgatae occurrit, quia post v. 8. nova incipit numeratio; et certe non est dubitandum, ab initio duos fuisse psalmos distinctos, qui serius ad usum liturgicum (in ritu paschali) in unum compacti sunt. Ceterum etiam in multis manuscriptis hebraicis ambo psalmi uniti sunt et nexus inter ps. 113*a*. et 113*b*. facilis est; nam ps. 113*a*. potest considerarari uti introductio historica ad ps. 113*b*. Quod attinet tempus compositionis, ps. 113*a*. sine dubio ante exilium babylonicum florente adhuc theocratia compositus est, ps. autem 113*b*. probabiliter ex tempore postexilico originem ducit. Auctores utriusq. ps. ignorantur.

Argumentum. In ps. 113*a*. Deus celebratur propter facta mirabilia, quae in favorem populi Israelit. egredientis ex Aegypto, commorantis in deserto et ingredientis in terram promissam patravit. Ps. 113*b*. in 5 strophas dividi potest; In I. str. v. 1-2. psalmista nomine totius populi implorat auxilium Dei non tam in commodum proprium sed potius propter gloriam ipsius Dei; in II. str. v. 3-8. modo vivido Dei omnipotentiam atque impotentiam et vanitatem idolorum describit; in III. str. v. 9-11. nomine populi et sacerdotum et omnium cultorum veri Dei plenam fiduciam in auxilio divino protestatur; in IV. str. v. 12-16. promittit benedictionem divinam specialem omnibus Israelitis et cultoribus Dei; in V. str. v. 17-18. nomine communitatis religiosae propositum enuntiat Deum celebrandi in aeternum.

Annotationes. Ps. 113*a*. V. 1. Sens. litter. refertur ad exitum populi Israel. ex Aegypto, sens. allegor. ad redemptionem generis humani a servitute diaboli per Christum, sens. tropolog. ad liberationem animae ex statu peccati per recuperationem gratiae divinae, sens. anagog. ad nostram transmisgrationem ex exilio hujus mundi in patriam coelestem. *de populo barbaro* — de populo aliena lingua utente, vel a populo rudi, crudeli. Vox gr. *βάρβαρος* proxime talem

hominem designat, qui non pertinet ad populum hellenicum ideoque aliena lingua utitur cf. I. Cor. 14, 11. Rom. 1, 14.

V. 2. Sens.: Judaea (Palaestina) facta est quasi sanctuarium Dei et populus Israelit. sub ipsius potestate constitutus est. Juxta t. hebr., in quo pro *Judaea* ponitur *Juda* sens. est: totus populus Israel. Deo sacer factus et sub ejus imperio constitutus est cf. Ex. 19, 6. I. Pet. 2, 9 sqq. *ejus* se refert ad nomen Dei in voc. *Alleluja* (hbr.: hal^{e}lû jâh=laudate Dominum), quod ab initio psalmi legitur.

V. 3. A v. 3-6. psalmista utitur prosopopoea seu figura personificationis nempe mare, Jordanis, montes personificantur. *mare vidit et fugit*=mare rubrum a conspectu populi Israel. quasi fugam capessivit a. v. exsiccatum est, ita ut populus transire potuerit Ex. 14, 21 sq. *Jordanis conversus est retrorsum*=aquae Jordanis firmae steterunt, donec populus transierit Jos. 3, 15 sq.

V. 4. Similitudine hyperbolica describitur commotio montis Sinai durante promulgatione decalogi Ex. 19, 18.

V. 5. et 6. Alia figura poetica (rhetorica) fere idem repetitur, quod jam in v. 3. et 4. enuntiatum est.

V. 7. Responsione data ad interrogationem in v. 5. et 6. enuntiatam potentia Dei qua causa efficiens illorum miraculorum statuitur. *a facie*=a praesentia, h. l.=potentia.

V. 8. Sens.: Deus per Moysen virgâ percutientem petram ex ea magnam copiam aquarum elicuit Ex. 17, 6.

Ps. 113*b*. V. 2. Ab initio supplend. est: auxilium fer nobis, vel (juxta Bickell, l. c. p. 81): fiat auxilium tuum super populum tuum. *super misericordia tua*=propter benignitatem tuam. *et veritate tua*=et propter fidelitatem tuam. *nequando dicant gentes....*=si Deus populo suo auxilium non praestaret, tunc gentes alienae dubia moverent de ipsius omnipotentia vel benignitate et fidelitate eumque blasphemarent cf. ps. 41, 4. 11.

V. 3. Contra gentes Deum blasphemantes psalmista extollit ipsius omnipotentiam. Pro praet. praes. poni debet.

V. 4-7. Cf. ps. 134, 15 sqq. Sap. 15, 15 sq. Loco temporis futuri praesens poni debet.

V. 8. Sens.: sicut dii gentium impotentes et ridiculi sunt, ita gentes ipsae nobis inimicae confundantur et pereant. *fiant,* in t. hebr.: *sunt.*

V. 9. In t. hebr. a v. 9-11. non est indicativus sed imperati-

vus. Versus 9-13. probabiliter per modum nostrarum litaniarum i. e. praeeunte voce singulari et sequente toto choro cantabantur. *domus Israel*=totus populus Israel.

V. 10. *domus Aaron*=familia sacerdotalis.

V. 11. *qui timent Dominum;* juxta nonnullos verba hujus v. sunt recapitulatio versuum 9. et 10; alii sub *timentibus Dominum* intelligunt proselytos vel generatim omnes cultores veri Dei etiam inter gentes cf. Act. 10, 2. 13, 16.

V. 12. *benedixit*=benedicit; in t. hebr. est futur., quod nonnulli cum optativo reddunt=benedicat.

V. 13. *pusillis cum majoribus*=humilibus et nobilibus.

V. 14. et 15. Verba benedictionis, quae probabiliter a choro sacerdotum cantabantur. *adjiciat super vos....* in t. hebr. est: adjiciat **ad** vos et **ad** filios vestros=augeat vos et familias vestras cf. Deut. 1, 11. *benedicti.* suppl.: estote.

V. 16. Sens.: summum coelum pertinet ad Dominum et ipsius habitaculum est, terram autem hominibus dedit ad habitandum.

V. 17. Ab initio suppleri debet: *salva nos* vel simile quid. Sens. est: serva nos in vita, nam mortui non possunt te laudare scil. modo publico et meritorio cf. ps. 6, 6. 87, 11-13.

V. 18. *qui vivimus;* haec verba in t. hebr. desunt, a 70 (et Vulg.) ex conjectura addita esse videntur. *benedicere*=laudare.

Usus liturg. Ps. 113. in officio s. recitatur: 1) in festo Paschatis et in ejusdem octava ad Vesperas (liberatio ex servitute diaboli cf. ps. 113*a*, 1., seu exitus ex statu peccati); 2) in Vesperis Epiphaniae (primus exitus gentilium ex servitute diaboli); 3) in festo Pentecostes et in ejusdam octava (in festo Pentecostes nova theocratia fundata est cf. ps. 113*a*, 2); 4) in festo ss. Trinitatis (in ps. 113*b*, 1-3. 18. laudatur Deus triunus); 5) in Vesperis Dominicae (memoria Dei Creatoris ps. 113*b*, 3., Redemptoris ps. 113*a*, 1., et Santificatoris ps. 113*a*, 2).

Psalmus CXIV. et CXV.

Observatio praevia. Psalmi, qui juxta vers. Alex. et Vulg. 114. et 115. sunt, in t. hebr. unicum ps. constituunt nempe 116. et considerato argumento valde probabile est, eos ab origine in unum conjunctos fuisse et serius demum ad usum liturgicum in duos divisos esse; in numeratione versuum etiam editiones Vulga-

tae ambo psalmos de regula uti unum considerant. Ceterum unusquisque ex his psalmis etiam seorsim sumptus bonum sensum dat et completum argumentum habet. De auctore et de tempore, quo uterque psalmus compositus sit, nihil certi statui potest, attamen probabile est, eum derivari ex tempore postexilico.

Argumentum. In ps. 114. auctor enarrat, se auxilio divino ex magnis angustiis et periculis liberatum esse, qua de re gaudium suum exprimit et summum amorem erga Deum protestatur. In ps. 115. auctor enuntiat, se plenam habere fiduciam in Domino, diffidentiam vero in hominibus; deinde pollicetur, se Deo gratias acturum, vota sua in sanctuario soluturum et semper fidelem servum Dominí mansurum esse.

Annotationes. V. 1. *dilexi*=diligo Deum. *exaudiet*=exaudit.

V. 2. *in diebus meis invocabo*=per totam vitam meam Dominum invocabo.

V. 3. *pericula inferni invenerunt me*=pericula mortis venerunt super me. *inveni*=expertus sum.

V. 4. Post verbum *invocavi* non punctum sed colon poni debet, nam verba sequentia sunt oratio psalmistae.

V. 6. *parvulos*=humiles. *humiliatus*=afflictus.

V. 7. *convertere*=revertere. *benefecit mihi*=exaudivit preces meas et liberavit me.

V. 8. *quis eripuit,* suppl.: nisi Dominus. In t. hebr. legitur: *tu Domine eripuisti.*

V. 9. *placebo Domino*=conabor, ut placeam Domino; in t. hebr.: *ambulo coram Domino. in regione vivorum*=in hac terra inter vivos. In sensu anagogico verba v. 7-9. referuntur ad requiem aeternam in vita beata in coelis.

V. 10. Sens.: fidem habui, ideo ad Deum dixi: valde afflictus sum ego, a. v.: fiduciam meam in Deo collocavi, ideo in afflictione mea ad eum confugi. Apostolus II. Cor. 4, 13. allegat v. 10*a*. protestans fidem suam in futuram resurrectionem.

V. 11. *in excessu meo*=in excessu mentis meae i. e. quasi extra me raptus ob nimiam afflictionem. *omnis homo mendax*= omnes homines sunt fallaces, a. v.: non datur homo, qui absolute loquendo et ex natura sua **non possit** fallere aut mentiri. Deus autem utpote ipsa veritas **ex natura sua** fallere vel mentiri nequit cf. Rom. 3, 4.

V. 12. *pro omnibus, quae retribuit mihi*=pro omnibus beneficiis, quae mihi elargitus est.

V. 13. Sens.: salutem a Domino mihi oblatam gratus accipiam et ipsius gloriam celebrabo. *calicem salutaris*; vox *calix* metaphorice sumpta saepe sortem hominis indicat cf. ps. 15, 5; ideo *calix salutaris*=salus et prosperitas. Alii putant, alludi h. l. ad calicem (quartum) in coena paschali usitatum cf. Raffl, l. c. p. 81.

V. 14. Sens.: vota, quae Deo feci, pubblice coram toto popolo solvam.

V. 15. Sens. litteral.: Deus mortem seu interitum justorum non facile (parvo pretio) admittit, a. v.: vita justorum coram Deo pretiosa est. Vox *pretiosus* h. l.=rarus cf. I. Reg. 3, 1. Sens. spiritual. refertur ad mortem Sanctorum, quae ideo pretiosa est, quia ad beatitudinem aeternam perducit seu quasi dies natalis vitae aeternae est.

V. 16. *quia* h. l. non habet significationem causativam, sed sicut ὅτι in lingua graeca tantum orationem directam introducit. *filius ancillae tuae*=jam inde a nativitate mea servus tuus sum, seu: jam parentes mei erant servi tui, ideo ego servus tuus hereditarius sum. In sens. spirit. verba hujus v. ad illos referri possunt, qui se totos servitio Dei tradiderunt et omnia vincula, quibus mundus homines ad se trahere conatur, diruperunt et abjecerunt, quales esse debent clerici et sacerdotes et religiosi utriusque sexus.

V. 19. *in atriis domus Domini*=in atrio templi sacrificia votiva offeram.

Usus liturg. Psalmi 114. et 115. in liturgia V. T. occurrunt in ritu paschali et juxta sententiam nonnullorum praecise pro hac occasione compositi sunt (Raffl, l. c. p. 78). Quod attinet liturgiam N. T., ps. 114. recitatur in Vesperis defunctorum quasi nomine animarum in purgatorio detentarum, quae jam firmam fiduciam habent, se mox liberatum iri ex loco poenarum et ingressuros esse ad requiem aeternam *in regione viventium*. Ps. 115. recitatur: 1) feria V. in coena Domini et in officio ss. Sacramenti (cf. v. 13. *calicem salutaris accipiam*); 2) feria VI. in Parasceve Domini et in officiis, quae agunt de passione Domini (cf. v. 10. *ego autem humiliatus sum nimis*, v. 17. *tibi sacrificabo hostiam laudis*); 3) in festis Apostolorum et Martyrum et in festo omnium Sanctorum (cf. v. 10. *credidi*, v. 15. *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum*, v. 16); 4) in praeparatione sacerdotis ad missam (cf. v. 12 et 13., v. 17. *tibi sacrificabo hostiam laudis*, v. 18. et 19.).

Psalmus CXVII.

Occasio histor. De tempore, quo hic ps. compositus sit, diversae circumferuntur opiniones; solummodo hoc certum esse videtur, eum ex tempore postexilico derivari. Cl. Patrizi (l. c. p. 293) modo ingenioso demonstrare conatur, occasionem historicam enarrari in libro Esther scil. psalmum compositum esse in gratiarum actionem pro liberatione ex periculo mortis, quod ex Amani insidiis Judaeis in regno Persico degentibus imminebat quodque consilio Mardochaei et prudenti intercessione reginae Esther feliciter declinatum est. Sed haec sententia singularis non est valde probabilis. Ex materia substrata potius cum aliqua probabilitate conjici licet, psalmum nostrum exaratum esse occasione consecrationis templi secundi a. 6. regis Darii Hystapis i. e. a. 516. Cf. I. Esd. 6, 14-18.

Forma poetica. Ps. 117. pro duplici vel multiplici choro compositus esse videtur fere per modum nostrarum litaniarum, ita ut alternarent chorus Levitarum, sacerdotum et totius populi. Sed quonam modo singulae voces distributae fuerint, non facile determinari potest.

Argumentum. Totus ps. in duas partes dividi potest; in I. p. v. 1-18. exprimitur laetitia ob consecutam redemptionem ex captivitate et exsilio; haec pars probabiliter in via seu in processione solemni ad templum canebatur. In II. p. v. 19-29. spes futurae redemptionis multo nobilioris i. e. redemptionis spiritualis per Messiam efficiendae innuitur; haec pars cantabatur, quando pompa solemnis ad portas templi pervenit. Pars I. iterum in tres strophas dividi potest; in I. str. v. 1-4, psalmista totum populum, in specie sacerdotes et generatim omnes cultores Dei (proselytos) excitat ad Deum laudandum et celebrandum propter ipsius bonitatem et misericordiam; in II. str. v. 5-9. firmam fiduciam in auxilio divino enuntiat; in III. str. v. 10-18. persecutiones et pericula ab adversariis parata a Deo autem irritata describit. Etiam in altera parte tres strophae distingui possunt; in I. str. v. 19-21. psalmista propositum enuntiat ingrediendi in templum ibique laudem Dei celebrandi; in II. str. v. 22-27. praedicit, ex populo a gentibus rejecto salutem et salvatorem esse oriturum; in III. str. v. 28-29. habetur gratiarum actio et nova invitatio ad Deum laudandum.

Psalmista utitur prima persona singular., attamen non tantum nomine suo sed nomine totius populi loquitur.

Sensus Messian. Psalmum 117. in aliquo sensu ad Messiam esse referendum probatur: 1) ex verbis Christi Mat. 21, 42-44. Luc. 20, 17., nam ibi Chr. versum 22. nostri ps. allegat et ad semet ipsum refert; 2) ex verbis Apostoli Petri (Act. 4, 10 sqq.) et Pauli (Eph. 2, 20); 3) ex traditione Judaeorum, quae elucet ex acclamatione populi in solemni ingressu Christi in urbem Jerusalem, qua occasione turbae verba v. 26. recitarunt (Mat. 21, 9); 4) ex sententia communi ss. Patrum, qui omnes vel directe vel indirecte nostrum ps. ad Christum referunt; sic e. gr. s. Hieronymus (in commentar. ad Matth.) dicit: *versum istum (scil.: benedictus, qui venit....) sumpsit de 117. psalmo, qui manifesto de adventu Christi scriptus est.* Attamen psalmus non est directe Messianicus; nam proxime et directe ad populum Israelit. ex exsilio reverso refertur, quatenus ex illa residua parte populi quasi ex semine salus pro omnibus gentibus et Messias oriundus erat.

Annotationes. V. 1. *misericordia*=gratia seu benignitas.

V. 3. et 4. *domus Aaron* cf. ps. 113*b*, 10. *qui timent D.* cf. ps. 113*b*, 11.

V. 5. *de tribulatione*=in tribulatione constitutus. *exaudivit me in latitudine*=in locum amplum me constituit i. e. liberavit me ex angustia (constr. praegnans).

V. 6. *quid faciat mihi homo*=quidquid homines mihi faciant; in t. hebr. est interrogatio, ita etiam in t. gr.: *τί ποιήσει μοι ἄνθρωπος*=quid mali mihi facere poterunt homines?

V. 7. *despiciam inimicos meos*=triumphans despicere possum in adversarios meos.

V. 8. *bonum*=melius; est hebraismus, nam in ling. hebr. comparativus exprimitur positivo cum praep. *min*=prae.

V. 10. *omnes gentes circuierunt me*=multi populi alieni me circumdederunt et persecuti sunt. *et*=sed. *in nomine Domini*= auxilio et potentia Dei. *quia*=profecto; ita etiam in v. 11. et 12; est hebraism., nam particula hebr. utrumque significare potest. *ultus sum in eos*=victoriam reportavi de eis.

V. 12. *exarserunt sicut ignis in spinis*=cum magno impetu et furore in me irruerunt. Imago desumpta est de igne devorante in spineto arido.

V, 13. Sens.: adversarii quidem evertebant me, ita ut caderem, sed Deus me adjuvit et iterum erexit.

V. 14. *laus mea* = objectum laudis seu cantici mei.

V. 15. Sens.: propter salutem a Domino consecutam vox laetitiae resonat in habitaculis justorum.

V. 16. *dextera Domini fecit virtutem* = Deus potentem se exhibuit. *exaltavit me* = in locum altum et tutum me constituit i. e. e periculo me liberavit.

V. 18. *castigans castigavit me* = dure me castigavit; repetitio verbi in ling. hebr. vim intensivam habet. *et* = sed.

V. 19. *portae justitiae* = portae templi; ita dicuntur, quia justi per eas intrabant cf. v. 20*b*. *in eas* = per eas; sic etiam in v. 20.

V. 21. *factus es mihi in salutem* = fuisti salvator meus.

V. 22. *lapidem*; iste lapis in sens. litterali et proximo est populus Israel., *aedificantes* sunt gentes alienae, quae populum Israelit. despexerunt et rejecerunt. Sed in sensu sublimiori et pleno sub isto lapide angulari intelligitur Christus. *caput anguli* = lapis fundamentalis. Populus Israelit. tantum eatenus lapis fundamentalis inter omnes populos dici potest, quatenus erat gestator divinarum promissionum et quatenus ex eo salvator et salus etiam pro reliquis populis prodire debuit. Populus Israel., qui in captivitate babylon. jam ad interitum destinatus erat, postea autem iterum restitutus est, aliquo modo erat typus Christi ad mortem traditi sed iterum resuscitati cf. Is. 28, 16. Cl. Patrizi l. c. p. 296. putat, lapide angulari indicari Mardochaeum et ipsum esse typum Christi.

V. 24. Sens.: opus Dei est, quod talem diem (consecrationis templi) celebrare possumus; ideo juremerito hoc die laetari et exultare debemus.

V. 25. Sens.: Domine da mihi salutem et prosperitatem (preces populi). *bene prosperare* = fac me bene prosperare.

V. 26. et 27*a*. Haec sunt verba benedictionis a sacerdotibus toti populo impertitae. *qui venit in nomine Domini;* proxime et in sensu imperf. populus Israel. in sens. autem pleno et perfecto Christus intelligitur cf. Mat. 21, 9. Joan. 12, 13. *benediximus* = benedicimus. *de domo Domini* = de templo (signif. local.); juxta alios = qui pertinetis ad domum i. e. familiam Domini.

V. 27. *Deus Dominus et illuxit nobis* = Deus est Dominus noster et ostendit se nobis seu dedit nobis lucem (gratiam, consolationem). *constituite diem solemnem in condensis....* = celebrate diem solemnem collocantes densos ramos usque ad angulos altaris; in t.

hebr.: funibus ligate victimas festivas ad cornua (angulos) altaris usque.

V. 28*b*. est repetitio vers. 21., quae in t. masoreth. non occurrit.

V. 29. est=v. 1.; isto versu initiali et finali thema psalmi principale continetur.

Usus liturg. Ps. 117. recitatur in officio Dominicae vel ad Primam (a Pentecoste usque ad Dominic. Septuag.) vel ad Laudes (a Domin. Septuag. usque ad tempus Paschatis), quia Dominica est *κατ' ἐξοχήν dies quam fecit dominus* (v. 24), in qua confiteri Domino i. e. eum laudare debemus (v. 1. et 29.). V. 23. in II. missa nativitatis Domini occurrit et ad mirabilem nativitatem Christi refertur. V. 24. in festo Paschatis et per octavam post psalmos uniuscujusque Horae recitatur, quia tempus paschale est dies Domini, in qua maximopere laetari et exultare debemus.

In liturgia V. T. hic ps. erat ultimus ex s. d. **Hallel** (magno), ideo in coena paschali, in Encaeniis et Neomeniis et in festo tabernaculorum (cf. v. 27) recitabatur.

Psalmus CXVIII.

Auctor et occasio histor. De auctore et occasione historica hujus ps. nihil certi statui potest; ideo diversae de hac re sententiae apud interpretes inveniuntur. Plures ss. Patres et theologi antiquiores putaveruat, psalmum nostrum a Davide esse compositum et quidem illo tempore, quo persecutiones a Saule pati debuit. Et re quidem vera non pauci loci in hoc ps. occurrunt, qui Davidi fugienti a Saule persequente non inepte convenirent; scil.: auctor adhuc juvenis est (cf. v. 9. 100. 141), conqueritur de tribulationibus et angustiis suis (cf. v. 143), de malignitate et multitudine persecutorum (cf. v. 61. 69. 78. 110. 157.), dicit, se a principibus injuste vexatum fuisse (cf. v. 23. 161), se versari in periculo mortis (cf. v. 109), demum se comparat cum ove perdita, quae huc illucve circumerrat (cf. v. 176). Attamen his non obstantibus sententia, Davidem esse auctorem psalmi, nunc fere ab omnibus derelicta est, tum propter defectum inscriptionis tum propter linguam et indolem psalmi, quae tempus recentius redolet. Alii psalmum attribuunt tempori exilico dicentes, eum compositum esse ad exules in lege divina et contra periculum idololatriae confirmandos et ad

eos consolandos in multis tribulationibus; imo sunt, qui putant, ipsum Danielem esse auctorem (Calmet. in comment.). Iterum alii contendunt, psalmum derivari ex tempore postexilico et eum in finem exaratum esse, ut populus reversus de exilio in observatione legis divinae, cujus pretium in exilio aestimare didicerit, magis confirmetur; et suspicantur, Esdram vel Nehemiam esse auctorem, at putant psalmistam non nomine proprio sed nomine totius nationis loqui.

Forma poetica. Forma externa hujus ps. in textu hebr. est artificiosa, scil. ps. acrostichus est sive alphabeticus et quidem ratione omnino speciali. Totus ps. juxta numerum litterarum Alphabeti hebr. ex 22 strophis seu carminibus parvis compositus est, quorum unumquodque 8 versibus constat et quilibet versus eadem littera incipit juxta ordinem Alphabeti hebraici. Istae singulae strophae seu carmina, quia octonis versibus constant, de regula octonaria nominantur. In 1. octonario quilibet vers. incipit littera Aleph, in 2. octon. litt. Beth, in 3. octon. litt. Ghimel etc., ita ut totum Alphabetum octies repetatur. Haec forma artificiosa partim ornatus causa partim ad memoriam adjuvandam adhibita esse videtur, quia nempe ps. ex memoria recitandus vel canendus erat; alii putant hujus rei rationem mysticam adesse, e. gr. s. Hilarius (Tract. in ps. 118. in prol.) dicit: *qui ad doctrinam rationabilis et perfectae prudentiae praeparantur, ab ipsis statim litterarum elementis docendi sunt, ut perfectam veramque rationem tanquam ab exordio primae institutionis consequantur;* s. Ambrosius autem putat, istud artificium adhibitum esse ad indicandum hunc ps. esse Christifidelium Alphabetum, ibique omnium officiorum nostrorum elementa ac principia inveniri.

Argumentum. Ps. 118. prolixitate omnes reliquos longe superat, sed *tanto praestantior est, quanto prolixior*, (Muis in comment.), quippe qui admirabilem ostendit ingenii foecunditatem, et *altissimus est profunditate sensuum* (Cassiodor.) Argumentum paucis verbis ita indicari potest: in hoc ps. **lex** divina celebratur, **gratia** divina imploratur, seu a. v.: hic ps. est encomium legis divinae et simul deprecatio ad obtinendam gratiam, quae necessaria est ad hanc legem sequendam et adimplendam; ideo dici potest: in ps. 118. argumentum psalmi 18, 8-15. magis et fusius evolvitur et explicatur. Lex divina in nostro ps. variis multisque modis describitur et praedicatur; s. poeta mirabili arte et cura hoc argumentum ita pertractat, ut lex Dei in singulis versibus uno solo

excepto (122.) novis semper nominibus extollatur et celebretur. Nomine legis divinae in hoc ps. intelliguntur omnia quaecunque Deus hominibus per semetipsum, per Moysen et prophetas imperavit et revelavit, a. v. lex divina totam oeconomiam divinae salutis complectitur. Psalmista multifariam multisque modis ostendit, quales et quantae divitiae spirituales in lege Domini contineantur, quales thesauri in verbo Dei absconditi sint, quantam consolationem eloquia Domini homini afflicto et persecutionibus agitato afferant, quot praeclaras doctrinas et institutiones ad vitam justam et beatam agendam, quot incitamenta et adjumenta pietatis revelatio divina in se complectatur. Lex divina in nostro ps. praesertim decem diversis nominibus insignitur, quibus ejusdem qualitates, utilitates, praestantia et excellentia indicantur; ista nomina sunt sequentia: 1) lex, 2) mandatum (praeceptum), 3) testimonium, 4) judicium, 5) justitia (aequitas), 6) justificatio, 7) verbum (sermo), 8) eloquium, 9) via (semita), 10) veritas. Haec autem non sunt mera synonyma; s. Hilarius ad rem dicit (Tract. in ps. 118. in prol. n. 3): *plures, cum audiunt legem, justificationes, praecepta, testimonia, judicia, quae omnia Moyses sub diversa uniuscujusque generis virtute disposuit, unum atque idem esse existimant, ignorantes aliud legem, aliud justificationem, aliud esse judicium.... sunt ergo distantiae in singulis quibusque rebus et prudentis atque intelligentis viri est in his quae scripta sunt discernere, ubi lex, ubi praeceptum, ubi testimonium, ubi justificationes, ubi judicia constituta sint.* De auctore hujus ps. fere idem dici potest, quod s. Hieronymus de Osea advertit, scil.: *commaticus est et quasi per sententias loquens.* Nam fere unaquaeque sententia per se sumpta jam completum et separatum sensum dat; ideo ps. est corona sententiarum, quasi rosarium V. T. Attamen non est verum, totum ps. esse tantum seriem sententiarum non cohaerentium nullumque prorsus connexum neque progressum sententiarum in eo inveniri. Nam non est dubium, saltem aliqualem etiamsi non omnino strictum nexum et progressum dari tum inter singula octonaria tum inter singulos versus uniuscujusque octonarii. Nimis longum esset, hunc progressum cogitationum per singula demonstrare. Sufficiat indicare cogitationes principales, quae in unoquoque octonario continentur. Singularum stropharum connexus et cogitationes principales hoc fere modo exponi possunt: Ab initio psaltes celebrat praestantiam legis divinae (Aleph) ejusque efficaciam pro adolescentibus,

qui eam scrutantur (Beth), deinde in medio inimicorum persequentium constitutus implorat gratiam illuminationis (Ghimel), firmitatis (Daleth), perseverantiae (He) et fortitudinis ad confitendam fidem suam cum laetitia et sine respectu humano (Vau); postea declarat, verbum Dei esse objectum consolationis suae et specialis propensionis (Zain) seque annumerat timentibus Deum et observantibus legem divinam (Heth) et agnoscit utilitatem humiliationis (Teth), sed confitetur, se indigere consolatione (Jod), quam enixis precibus anhelat (Caph), quia sine Lege Dei efficaci et aeterna, qua ipse confortetur, animum penitus demitteret (Lamed); lex divina psalmistae sapientiam et prudentiam praebet (Mem), huic legi fidelitatem juravit eamque observat non obstante persecutione (Nun), apostatas autem a fide et lege divina abhorret et contemnit (Samech); porro psalmista petit, ne tradatur in manus adversariorum, amorem legis divinae protestatur (Ain) et Deum rogat, ne conamina adversariorum, quae ipsi lacrimas extorquent, praevalere sinat (Phe) et dicit, se quidem juvenem esse et contemptum at plenum zelo contra transgressores legis divinae (Sade), deinde orat, ut Deus exaudiat preces, quibus eum noctu diuque fatigat (Koph), praesertim desiderat refectionem et consolationem spiritualem inter persecutores et peccatores, a quibus circumdatus est (Res), quia etiamsi a principibus vexatus tam fideliter Deo adhaeret (Sin), demum in fine petit, ut Deus deprecationem ejus benigne suscipiat eumque utpote ovem errantem et periclitantem quaerat et ad ovile suum reducat (Tau). Hac brevi analysi certe non omnes cogitationes principales singularum stropharum exhauriuntur, attamen ea demonstrat, hunc psalmum non destitui concatenatione cogitationum neque meram esse collectionem sententiarum (cf. Delitzsch, die Psalmen, ed. 3., Lipsiae 1874. T. II, p. 241 sq.) Ex accurata consideratione totius psalmi elucet, in eo contineri clarum argumentum divinitatis illius religionis, quae sensus tanti amoris erga legem divinam inspiravit. Tales sensus sola natura non potest inspirare sed tantum gratia divina. In litteratura aliorum populorum antiquorum in vanum similes effusiones cordis humani quaeruntur.

Annotationes ad singulos versus. V. 1. Sens.: vera et aeterna beatitudo est ultimus finis hominis, ad hanc autem beatitudinem accurata legis divinae observatio perducit. *in via*=in modo agendi et vivendi.

V. 2. Sens.: ad veram beatitudinem consequendam non sufficit

cognitio superficialis legis divinae, sed requiritur studium diligens et meditatio seria. *testimonia ejus;* leges divinae dicuntur *testimonia Dei,* quia ipsius voluntatem testantur. *exquirunt*=quaerunt.

V. 3. Sens.: homines iniqui scil. qui Deum non quaerunt, mandata divina in vita sua non observant.

V. 4. Sens.: tu praecepisti, ut mandata tua accurate observentur.

V. 5. Sens.: utinam omnes leges tuas accurate observare possem! Leges divinae dicuntur *justificationes,* quia observantes justos faciunt.

V. 6. *cum perspexero in omnibus mandatis t.*=si respexero ad omnia mandata tua.

V. 7. Sens.: celebro te recto corde, quia didici justa judicia tua. *judicia*=decreta Dei judicialia.

V. 8. *usquequaque*=continuo, semper; *non.... usquequaque*= nunquam.

V. 9. Sens.: qua ratione juvenis vitam suam emendare (hebr.: puram servare) potest? (resp.) observatione mandatorum Dei.

V. 10. Sens.: toto corde meo colo te, ne permittas, ut aberrem a mandatis tuis.

V. 11. *abscondi*=recondo. *tibi*=contra te.

V. 14. Sens.: in observatione mandatorum tuorum tantam laetitiam sentio, quantam non haberem de quibuscumque divitiis.

V. 15. *exercere* h. l. indicat exercitium spirituale=meditari.

V. 17. *retribue servo tuo, vivifica me*=tribue servo tuo ut vivam (vers. s. Hieron.) i. e. serva me in vita.

V. 18. *revela oculos meos*=velum remove ab oculis meis i. e. illumina me, ut mirabilem vim legis tuae perspiciam.

V. 19. Sens.: in hac terra tantum peregrinus (advena — vers. s. Hieron.) sum, doce me leges tuas, quibus ad veram patriam perveniam.

V. 20. Sens.: ego cupio, ut desiderium et amorem legis divinae habeam omni tempore.

V. 21. *increpasti superbos*=objurgas illos, qui in superbia sua legi divinae se subjicere nolunt.

V. 23. Sens.: principes conveniunt et consilia maligna contra me ineunt, ego autem meditor in legibus tuis.

V. 24. Sens.: mandata tua sunt objectum meditationis meae et sermones tui sunt quasi consiliarii mei.

V. 25. *adhaesit pavimento anima mea*=humi prostratus sum,

in pulvere jaceo. Haec verba vel miseram conditionem corporalem (captivitatem?) vel afflictionem et depressionem animae indicare possunt. Nonnulli ss. Patres verba explicant de captivitate animae in corpore seu de pondere corporis, quo anima deprimitur.

V. 26*a*. Sens.: miseram meam conditionem tibi expono, et certe me exaudies et liberabis.

V. 27. Sens.: modum praecepta tua observandi doce me, tunc me exercebo in custodiendis legibus tuis mirabilibus.

V. 28. Sens.: anima mea propter aerumnam et afflictionem meam languescit, ideo obsecro, ut me confortes verbis tuis.

V. 29. Sens.: fac per gratiam tuam, ut longe recedam a via iniquitatis et secundum promissionem in lege contentam miserere mei. V. 29*b*. a s. Hieronymo ita vertitur: *legem tuam dona mihi.*

V. 32. *dilatasti cor meum*=cor meum latum seu potius laetum fecisti.

V. 33. Sens.: statue mihi viam mandatorum tuorum uti normam vivendi, tunc eam semper sequar seu semper in ea ambulabo.

V. 35. Sens.: deduc me in viam, quam mandata tua praescribunt, nam eam diligo.

V. 37. Sens.: ne permittas, ut oculi mei delectentur rebus vanis et iniquis, sed refice animam meam lege tua.

V. 38. Sens.: serva promissionem mihi factam propter timorem seu reverentiam meam erga te.

V. 39. Sens.: averte a me opprobrium, quod adversarii mihi inferre volunt, nam judicia tua sunt bona et justa.

V. 42. Vox *verbum* conjungi debet cum *respondebo;* si autem refertur ad vocabulum *exprobrantibus*, sens. est: respondebo illis, qui mihi aliquid (verbum hebr. dabâr=aliqua res, aliquid) exprobrant.

V. 43. *ne — usquequaque*=nunquam. *supersperare*=fiduciam collocare.

V. 45. *ambulabam,* in hebr.: *ambulabo. in latitudine*=non in loco angusto, sed in loco amplo=in libertate. *exquisivi*=quaero.

V. 46. *loquebar in testimoniis tuis*=loquor de legibus tuis. *non confundebar*=non erubesco.

V. 47. *meditabar*=meditor. *dilexi*=diligo.

V. 48. Sens.: libenter suscipio mandata tua, quae diligo, et de legibus tuis meditor.

V. 49. Sens.: recordare promissionis tuae, per quam mihi spem auxilii obtinendi praebuisti.

V. 50. Sens.: haec spes in promissione divina me consolatur in miseria mea; nam verbum Dei me recreat. *haec*=hoc (feminin. pro neutro — hebraism.).

V. 51. Sens.: superbi continuo inique agunt contra me, ego autem a lege tua non deflecto.

V. 52. Sens.: recordatio judiciorum, quibus Deus tempore antiquo iniquos castigavit, me consolatur.

V. 53. *defectio*=defectio seu dejectio animi. *pro peccatoribus* =propter peccatores.

V. 54. Sens.: leges tuae sunt mihi sicut cantus jucundus in loco exilii mei.

V. 56. Sens.: haec est occupatio mea, quod quaero leges tuas. *haec*=hoc cf. v. 50. *quia*=quod.

V. 57. Sens.: dico: pars mea, o Domine, est observatio legis tuae.

V. 58. *faciem tuam*=te, vel=gratiam tuam.

V. 59. Sens.: recogito vitam meam et dirigo gressus meos ad observandas leges tuas.

V. 60. Sens.: sine conturbatione seu sine haesitatione paratus sum custodire mandata tua.

V. 61. *funes peccatorum circumplexi sunt me*=laquei peccatorum circumdant me.

V. 62. Sens.: media nocte surgo ad te laudandum propter justa judicia tua.

V. 63. *particeps sum*=socius sum.

V. 67. Sens.: propter peccata mea humiliatus et afflictus sum, ideo nunc praecepta tua observo.

V. 69*a*. Sens.: magna est iniquitas superborum contra me.

V. 70*a*. Sens.: cor superborum durum seu stupidum est sicut lac coagulatum (in hebr.: sicut pinguedo).

V. 71. Sens.: bonum mihi est, quod humiliasti et afflixisti me, quia hoc modo excitatus sum ad ediscendas leges tuas.

V. 72. Sens.: melior est mihi lex tua quam magna copia auri et argenti.

V. 73. Sens.: tu es creator meus, ideo legi tuae subjectus sum: attamen tu me illuminare debes, ut ediscam mandata tua.

V. 74. Sens.: timentes te cum laetitia me aspiciunt, quia in verbis tuis confido. Experientia docet, impios adspectu viri probi et religiosi tristes fieri et confundi, e contra timentes Deum tali adspectu laetari et confortari.

V. 75. *aequitas judicia tua*=judicia tua justa et aequa sunt. *in veritate tua*=propter fidelitatem tuam.

V. 76. Sens.: gratia tua me consoletur juxta promissionem tuam mihi datam.

V. 79. *convertantur mihi*=convertant se ad me.

V. 80. Sens.: sit cor meum immaculatum relate ad leges tuas, ne pudore afficiar.

V. 81. Sens.: anima mea desiderio gratiae et auxilii tui quasi consumitur, sed in verbo tuo fiduciam meam pono.

V. 82*a*. Sens.: oculi mei languescunt prae desiderio eloquii tui.

V. 83. Sens.: quamvis torpidus et exilis factus sum sicut uter, qui in pruina corrugatur, tamen leges tuas non sum oblitus.

V. 84. Sens.: quamdiu vita mea adhuc perdurabit? quando castigabis inimicos meos?

V. 85. Sens.: iniqui enarrant mihi res falsas et impias, quae sunt contra legem tuam. Forsitan impii psalmistam ad idololatriam vel ad peccatum seducere voluerunt; cf. v. 86.: *omnia mandata tua veritas.*

V. 86. Sens.: leges tuae non sunt fabulationes, sed veritatem continent, impii autem modo iniquo me persequuntur (seducere me conantur?); ideo me adjuvare debes.

V. 87. Sens.: parum defuit, ut me in terram prosternerent et perderent, at ego mandata tua non sum transgressus.

V. 90. Sens.: sicut terra a te fundata permanet usque ad consummationem saeculorum, ita etiam veritas (fidelitas) tua firma stat in omnes generationes.

V. 91. Sens.: vicissitudo diei et noctis stabilis est, quia omnia tibi servire debent; ita etiam fidelitas tua inconcussa manet omni tempore. Juxta t. hebr. v. 91*a*. ita verti potest: ad ordinationes tuas se sistunt (coelum et terra) hodie; sed Bickell (l. c. p. 86.) putat, vocem *hodie* omittendam esse.

V. 92. Sens.: nisi lex tua meditatio mea esset, tunc certe periissem in miseria mea. *forte* (in graec. ἄν) h. l. non est dubitativum.

V. 93. *in ipsis vivificasti me*=legibus divinis me reficis et recreas.

V. 95. Sens.: peccatores mihi insidiantur, ut me perdant (scil. me seducendo ad peccatum), ego autem praecepta tua cognosco eaque observo.

V. 96. Sens.: omnes res perfectae i. e. creatae terminos suos habent, lex tua autem latissime patet et limites non habet i. e. infinita et immensa est. *consummatio*=perfectio i. e. res perfecta (scil. a Deo)=res creata.

V. 97. *quomodo dilexi legem tuam*=quantum diligo legem tuam.

V. 98. Sens.: lex tua seu revelatio tua me inimicis meis multo sapientiorem reddit, nam illa semper coram me est.

V. 99. Sens.: continua legis divinae meditatio me prudentiorem facit magistris meis.

V. 103. Sens.: verba tua cordi meo dulciora sunt, quam mel ori meo.

V. 104. Sens.: ex mandatis tuis intelligens et sapiens factus sum, i. e. ex mandatis tuis intelligentiam hausi, ideo omnes actiones pravas odio habeo.

V. 108*a*. Sens.: spontanea promissa mea i. e. vota mea (in hebr.: sacrificia oris) benigne excipias.

V. 109. *anima mea in manibus meis semper*=continuo vitam meam quasi in manibus porto omnibus periculis expositam cf. Jud. 12, 3. I. Reg. 19, 5. Job. 13, 14.; cf. etiam s. Hieronymi epist. 106. n. 75. *S. Ambros. et s. Augustin. dicunt, in plerisque libris legi: anima mea in manibus* **tuis**; *et sensus optimus et verissimus est, animas nostras in manu Dei esse, a quo pendet vita nostra.* (Bellarmin.). Sed lectio Vulgatae (et t. masor.) utpote difficilior praeferenda est.

V. 110. Sens.: impii conantur me seducere, sed ego de mandatis tuis non aberro.

V. 111. Sens.: leges tuas patrimonii instar a patribus acquisivi easque teneo in aeternum, quia gaudium cordis mei sunt.

V. 112. Sens.: induxi cor meum ad custodienda mandata tua in aeternum propter praemium inde sperandum.

V. 116. Sens.: auxilium fer mihi juxta promissum tuum, ita ut vitam conservare possim, et ne afficias me pudore ob spem meam frustratam.

V. 119. Sens.: omnes peccatores terrae reputo uti prevaricatores legis divinae, ego autem praecepta divina diligo.

V. 120. Sens.: timore tui quasi clavis confige cupiditates meas carnales, ne me abripiant in peccata; nam timeo judicia tua (poenas tuas). *Ex timore judiciorum divinorum psalmista petit timorem Dei, nam quo major timor Dei eo mitius judicium Dei est* (Raffl, l. c. p. 133).

V. 121. *feci judicium et justitiam*=facio, quod justum et rectum est. *calumniantibus me*, in hbr.: oppressoribus meis.

V. 122. *suscipe servum tuum in bonum*=adjuva servum tuum, ut bonum facere possit; vel=benigne excipias servum tuum.

V. 123. Sens.: oculi mei languescunt prae desiderio gratiae seu auxilii tui et justi eloquii tui (justae promissionis tuae).

V. 126. Sens.: tempus est, ut judicium facias contra impios eosque punias, nam legem tuam exstirpare conantur.

V. 128. *dirigebar*=me dirigo, seu=animam meam dirigo.

V. 130. Sens.: explicatio sermonum tuorum illuminat et erudit homines simplices et humiles cf. ps. 18, 8.

V. 131. Sens.: aperto ore et maxima applicatione spiritus attendo ad explicationem sermonum tuorum, quia mandata tua desidero,

V. 132. *secundum judicium diligentium nomen tuum*=secundum jus, quod habent diligentes te; seu=juxta consuetudinem, qua uteris erga diligentes te.

V. 133. Sens.: fac, ut actiones meae se componant ad eloquia tua et nulla nequitia in me dominetur.

V. 134. Sens.: libera me a calumniis (in hebr.: ab oppressione) hominum, ut mandata tua custodire possim.

V. 135*a*. Sens.: gratiam tuam effunde super servum tuum.

V. 136. Sens.: impii rivos aquarum exprimunt oculis meis, quia non custodiunt legem tuam. *deduxerunt*=effundunt. S. Hieronym. hunc v. ita vertit ex hebr.: *rivi aquarum fluebant de oculis meis, quia non custodierunt legem tuam.*

V. 138. Sens.: testimonia tua sunt omnino justa et fidelia i. e. lex tua est clara significatio justitiae et fidelitatis tuae.

V. 139. *tabescere me fecit zelus meus*=zelus meus facit, ut tabescam=zelus meus consumit (comedit) me.

V. 140. *ignitum*=igne exploratum=probatum. *vehementer*=valde.

V. 142*a*. Sens.: justitia tua manet justitia in aeternum=justitia tua est justitia absoluta.

V. 144. *aequitas testimonia tua*=praecepta tua sunt aequa et justa.

V. 147*a*. Sens.: clamore meo diem praevenio. *in maturitate*=tempore praematuro, seu: ante diluculum. In psalt. s. Hieronymi v. 147*a*. ita sonat: *surgebam adhuc in tenebris et clamabam.*

V. 148*a*. Sens.: oculi mei jam ante diluculum ad te directi sunt. *praevenire diluculo*=venire ante diluculum.

V. 150. Sens.: persequentes me propinqui sunt iniquitati, longinqui autem a lege tua; seu: persequentes me sequuntur iniquitatem, a lege autem tua deflectunt.

V. 151. Sens.: tu Domine propinquus es mihi in tribulationibus meis, et omnes viae (actiones) tuae sunt veraces et fideles (non fallaces et insidiosae sicut viae adversariorum meorum).

V. 152. Sens.: jam statim ab initio cognovi, leges tuas esse latas pro aeternitate.

V. 153. *vide humilitatem meam*=respice ad miseram conditionem meam, seu ad afflictionem meam.

V. 154. *judica judicium meum*=age causam meam.

V. 160. Sens.: veritas est principium et fundamentum omnium verborum tuorum, in aeternum valent omnia justa judicia tua. *principium*=fons, origo vel fundamentum.

V. 161. Sens.: principes sine causa me persequuntur, ego autem eos non timeo, ego timeo tantum verba tua.

V. 164. Sens.: frequenter per diem laudem tuam celebro propter justa judicia tua. *septies*=saepe, frequenter. Sed etiamsi numerus septenarius in s. Scriptura saepe pro numero frequenti sumatur (cf. Prov. 24, 16. Lev. 26, 28. I. Reg. 2, 5), tamen Judaei posteriores vocem *septies* h. l. in sensu proprio intellexerunt; et etiam ecclesia hoc ad literam intellexisse videtur, quando introduxit horas canonicas, quae numero septem sunt, quin Matutinum seu Vigiliae nocturnae numerentur, quas psalmista supra in v. 62. commemorat (cf. Bellarmin. ad h. l.).

V. 165. *non est illis scandalum*=nullum offendiculum est illis i. e. nihil eos offendere et in periculum adducere potest; juxta alios=lex divina non est illis objectum scandali.

V. 166. *exspectabo salutare tuum*=spero auxilium tuum.

V. 170. Sens.: veniat supplicatio mea ad te: secundum promissionem tuam libera me a periculis et a persecutoribus meis.

V. 171. Sens.: labia mea laudem tuam annuntiabunt, cum edocueris me legem tuam.

V. 172. Sens.: lingua mea celebrabit eloquium tuum, quia omnia mandata tua sunt justa.

V. 173. *fiat manus tua, ut salvet me*=obsecro, ut manus tua (potens auxilium tuum) salvet me.

V. 174. *concupivi salutare tuum*=desidero auxilium tuum.

V. 175. Futurum h. l.=optativ.; ideo legendum est: *vivat, laudet, adjuvent.*

V. 176. Sens.: ego sum, sicut ovis perdita, quae derelicta circumerrat; tu Domine es pastor bonus, quaere me et iterum reduc me in ovile tuum, nam legem tuam non sum oblitus.

Usus liturg. Ecclesia hunc ps. per quattuor horas parvas distribuit eumque quotidie ministris suis ad meditationem proponit. Et profecto fere in quolibet versu thema meditationis continetur, ita ut sacerdos vel clericus ex nostro ps. materiam quotidianae meditationis propemodum pro toto anno haurire posset. Sed etiam preces in eo inveniuntur accommodatae omnibus necessitatibus et indigentiis cordis humani. Insuper psalmus est quasi speculum vitae sacerdotalis, nam quot versus tot fere continet commendationes virtutum et repudiationes vitiorum. Sequentes praesertim virtutes commendantur: studium et observatio legis divinae, amor et timor Dei, odium peccati, humilitas, castitas, fiducia in divino auxilio et spes retributionis, fortitudo in persecutionibus et tentationibus, oratio continua diurna et nocturna, perseverantia in servitio Dei etc. Ideo in certo sensu psalmus noster dici potest viaticum spirituale, quod ecclesia filiis suis peregrinantibus in exilio hujus mundi tradit, ut ad beatitudinem aeternam in patria coelesti pervenire possint

Juxta sensum typicum et plenum ea quae in hoc ps. dicuntur de lege divina, de verbo Dei etc. referuntur ad legem evangelicam et ad revelationem christianam; imo vocabula toties repetita *verbum, via, veritas* a nonnullis ad ipsum legislatorem N. T., ad Christum referuntur, qui est verbum aeternum Dei Patris (cf. v. 89) et de seipso dicit: *Ego sum via, veritas et vita* (Joan. 14, 6). Ex hac causa nonnulli versus psalmi in officio ecclesiastico Christo patienti accommodantur (cf. v. 107. 161). Etiam in Missali saepius nonnulli versus psalmi 118. occurrunt et diverso modo ad festa Domini et ad festa sanctorum Martyrum, Confessorum et praesertim Virginum accommodantur.

Psalmus CXXI.

Auctor et occasio histor. Juxta inscriptionem in t. hebr. hic ps. Davidi attribuitur, et nonnulli exegetae putant, eum post translationem arcae foederis in montem Sion et post reformationem

cultus divini a Davide compositum esse et quidem in usum peregrinantium ad sanctuarium Dei. Quia autem in paraphrasi chald., in vers. Alex. (fere in omnibus manuscriptis) et Vulg. auctor non nominatur, ideo alii authentiam illius inscriptionis hebraicae impugnant et nostrum ps. ad tempus postexilicum relegant. At quidquid sit de tempore et auctore psalmi, hoc certum est, eum esse *canticum graduum* i. e. carmen, quod in processionibus ad urbem s. decantabatur et quidem eo momento, quo agmen peregrinantium ad portas Hierosolymae pervenit. Hujusmodi *cantica graduum* (in t. hebr.: *cantica ascensionum*) in nostro psalterio 15 (119-133) numerantur.

Argumentum. In I. parte v. 1-5. psalmista summam laetitiam describit, quam peregrinantes ad sanctuarium Dei in conspectu et contemplatione urbis Hierosolymae sentiunt; in II. parte v. 6-9. pro urbe s. pacem et salutem et omnia bona precatur.

Annotationes. V. 1. Sens.: valde gaudeo, quotiescumque audio verba: eamus ad sanctuarium Dei. *in his, quae dicta sunt mihi;* in t. hebr. et gr. est: *de illis, qui dicunt mihi.*

V. 2. *stantes erant;* melius convenire videtur tempus praesens: *stantes sunt. in atriis tuis;* in t. hebr.: in portis tuis.

V. 3. *aedificatur* (=aedificata est) *ut civitas:* Jerusalem praeprimis a Davide qua civitas capitalis aedificata est; post exilium autem reaedificata est, ut esset centrum reipublicae theocraticae; textus **per se** ad utrumque tempus trahi potest. *cujus participatio ejus in idipsum*=Hierosolyma est urbs, cujus singulae plateae et domus conjunctae sunt in unum seu inter se cohaerent; juxta alios =Hierosolyma est centrum unitatis. In t. hebr. est: *civitas, quae juncta est sibi invicem* (in unum). *participatio*=conjunctio. *in idipsum*=in unum, ad invicem; pron. demonstr. *id* articulum supplet =*τὸ;* in t. graec. est: *ἐπὶ τὸ αὐτό.*

V. 4. *illuc*=Hierosolymam. *tribus, tribus Domini*=agmina peregrinantium e singulis tribubus; repetitio nominis juxta indolem linguae hebr. saepe multitudinem indicat. *testimonium Israel*=praeceptum est Israeli, nempe ut singuli Israelitae ter per annum (in festo Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum) ascendant ad sanctuarium Ex. 23, 17.

V. 5. Hierosolyma erat centrum theocratiae, *a)* quia ibi erat sanctuarium commune, quo peregrinantes ex omnibus tribubus convenerunt (cf. v. 4); *b)* quia ibi erat prima sedes judicialis seu pri-

mum tribunal et thronus regis theocratici. *sederunt*=collocatae sunt. *sedes in judicio*=cathedrae pro summis judicibus. In sens. spirit. intelligi possunt cathedrae judiciales in Hierosolyma coelesti constitutae pro Christo et Apostolis cf. Mat. 19, 28; istae *sedes* fundatae erant *super domum David*, quia omnis potestas regia et judicialis in regno coelorum Christo filio David competit et ab ipso dependet cf. Luc. 1, 32 sq. *sedes super domum David*, in t. hebr.: sedes pro domo Davidica, seu domus Davidicae.

V. 6. *rogate quae ad pacem sunt Jerusalem*=precamini Hierosolymae pacem et salutem. *abundantia diligentibus te*=sit prosperitas et abundantia bonorum illis, qui diligunt Hierosolymam.

V. 7. *fiat pax in virtute tua*=fiat salus per virtutem tuam. *in turribus*=in arcibus seu palatiis. In t. hebr. v. 7. ita sonat: *sit pax intra muros tuos, et salus* (securitas) *in palatiis tuis.*

V. 8. et 9. H. l. rationes indicantur, ob quas praesertim psalmista urbi s. pacem et salutem et omnia bona precatur scil. *a) propter fratres*, nam Hierosolyma erat metropolis pro omnibus Israelitis et centrum politicum, quo omnes in unum conjungebantur; *b) propter domum Domini*, quia Jerusalem erat etiam metropolis religiosa seu centrum religiosum utpote sedes sanctuarii communis. *loquebar pacem de te*=exopto tibi pacem.

Sensus typicus et usus liturg. Juxta sensum spiritualem sub Hierosolyma in nostro ps. intelligitur civitas Dei in N. T., quae est centrum religiosum pro omnibus tribubus et populis (v. 4.), vel etiam Hierosolyma coelestis, ad quam continuo ascendunt *tribus Domini* i. e. animae sanctae ex omni tribu et lingua et populo cf. Apoc. 7, 9; cf. etiam expositio s. Hilarii in tractatu ad hunc ps. Ex hoc sensu spirit. facile eruitur, quonam spiritu psalmus in liturgia ecclesiastica recitari debeat. Ps. 121. in officio s. occurrit: 1) feria III. ad Vesperas (laetamur, quia pertinemus ad ecclesiam unam v. 3., sanctam v. 1., catholicam v. 4. et apostolicam v. 5); 2) in festis B. V. Mariae (Maria est quasi civitas Dei, tabernaculum, quod sibi elegit Filius Dei ad habitandum); 3) in festis Virginum (quaelibet anima s. praesertim anima virginalis est domus Dei, templum Spiritus sancti); 4) in consecratione ecclesiae (quaelibet ecclesia est domus Dei v. 1, super quam episcopus in consecratione implorat benedictionem divinam v. 6. et 7).

Psalmus CXXIII.

Auctor. In t. hebr. hic ps. Davidi adscribitur, in paraphrasi chald. autem, in Vulg. et in antiquissimus codicibus vers. 70 auctor non nominatur (sed Swete in sua editione ponit: *τῷ Δαυείδ*). Utrum inscriptio hebraica sit authentica necne, cum certitudine decidi non potest; ex parte argumenti auctoritati inscriptionis nihil obstare videtur. Attamen non pauci exegetae putant, argumentum et linguam psalmi prodere tempus postexilicum.

Argumentum. In I. p. v. 1-5. psaltes populum Israelit. admonet, ut sincere confiteatur, se speciali auxilio divino e magnis periculis ereptum esse; in II. p. v. 6-8. Deum propter istud mirabile auxilium laudat eique gratias agit.

Annotationes. V. 1. et 2. *nisi quia Dominus erat in nobis*=nisi fuisset, quod D. erat in nobis=nisi Dominus vobiscum fuisset. *in nos*=contra nos.

V. 3. et 4. *forte* et *forsitan* h. l. non habent vim dubitativam, sed potentialem (potuissent nos deglutire). *irasceretur*=exardesceret. *aqua* (et in v. 5. *torrens*) est imago summae angustiae et maximi periculi.

V. 5*a*. Sens.: nos per torrentem pertransire i. e. summum periculum subire debuimus.

V. 5*b*. Sens.: parum deerat, ut periculum subire deberemus, quod superare impossibile fuisset. *aqua intolerabilis*=periculum, quod superari nequit, cui nemo resistere potest.

V. 6. *in captionem*=in praedam. *dentibus eorum* i. e. inimicorum, qui cum bestiis mordacibus comparantur.

V. 7. Sens.: jam in tanto periculo constituti eramus, sicut avis capta in laqueo, ita ut liberatio impossibilis videretur; attamen modo mirabili ex isto periculo erepti sumus.

V. 8. *adjutorium nostrum in nomine Domini*=auxilium nobis venit a Domino; *nomen Domini* saepe in ss. litteris ipsum Deum significat.

Usus liturgicus. Si hunc ps. in Vesperis feriae III. recitamus, eum referre possumus ad gratias et auxilia Dei, quibus anima nostra a multis et magnis periculis erepta est nosque ab insidiis inimicorum salutis nostrae liberati sumus. Vers. 8. recitatur ante *Confiteor* in Missa, ad Primam et in Completorio, item ab initio omnium Benedictionum, quia solus Deus omnipotenti adjutorio suo nos a peccatis mundare et benedictionem nobis elargiri potest.

Psalmus CXXV.

Occasio histor. Hic ps. absque dubio post primum reditum Judaeorum ex exilio babylonico compositus est, prout elucet ex argumento cf. I. Esd. cap. 1. et 2.

Argumentum. In I. str. v. 1-3. auctor enarrat, Judaeos redeuntes ex captivitate babylon. magna consolatione et laetitia repletos esse atque ipsas gentes alienas hac occasione gloriam Domini praedicavisse; in II. str. v. 4-6. Deum precatur, ut etiam reliquos Judaeos adhuc in exilio gementes liberare et in patriam reducere velit.

Annotationes. V. 1. Sens.: Quum Deus captivos Judaeos ex exilio reduceret, magna consolatione repleti sumus. *captivitas Sion* =captivi ex Sione (nom. abstract. pro concr.); *Sion* h. l. non tantum urbem s., sed totam terram Juda, cujus Sion erat metropolis politica et religiosa designat. *sicut* h. l.=revera. *consolati*, in hebr.: somniantes.

V. 2. *dicent*=dicebant (uti ex contextu elucet). Futurum hebraicum nonnunquam=imperfectum. *magnificavit facere*=magnifice fecit; verbum *magnificare* usurpatur pro adverbio (hebraism.)

V. 3. Ab initio supplend.: certe, revera. V. *3a.* est confirmatio versus *2b.*

V. 4. Sens.: reduc, Domine, etiam reliquos exules nostros ita ut turbae eorum redeuntes tanta celeritate accurrant sicut torrentes in regione australi tempore pluviae.

V. 6. Sententia generalis in v. 5. enuntiata applicatur ad exules. Sens.: Judaei in exilio flebilem vitam et lacrimosam poenitentiam egerunt; hujus poenitentiae fructus erit laetus reditus. *euntes* scil. in exilium. *mittere semina* h. l.=opera poenitentiae peragere. *portare manipulos*=fructum ferre ex operibus poenitentiae. *venientes venient*=redeuntes ex exilio advenient. In t. hebr. etiam in v. 6. est sententia generalis et applicatio ad exules lectori relinquitur.

Usus liturg. Ps. 125. recitatur: 1) in officio parvo B. V. Mariae ad Nonam (cf. v. 2. cum Luc. 1, 46-49); 2) in festis Apostolorum ad II. Vesper. Apostoli in his terris euntes ibant et flebant mittentes semen Evangelii, nunc in gloria coelesti cum exultatione metunt portantes manipulos suos i. e. fructum et proemium operationis suae cf. v. 5. et 6.

Psalmus CXXVI.

Auctor et argumentum. Hic ps. in t. hebr. et in Vulg. Salomoni attribuitur; nonnulli autem dubitant de authentia inscriptionis, quia in vers. Alex. non invenitur et in Vulgatam serius demum ex textu hebr. transsumpta esse videtur. Psaltes in I. str. v. 1-2. docet, conamina et molimina hominum esse frustranea, nisi Dominus prosperum successum tribuat; in II. str. v. 3-5. edicit, numerosam prolem esse donum Dei illosque beatos praedicat, qui potenti prole gaudent. Bellarminus in prooemio ad nostrum ps. dicit: *Ps. hic semper mihi visus est supra modum obscurus et nunc etiam post longum studium fateor, me non perfecte assequi litteralem sensum.* Deinde psalmum in sensu prophetico explicat de Judaeis post exilium Hierosolymam reaedificantibus, in sens. spirit. autem eum ad Hierosolymam N. T. i. e. ecclesiam et ad Hierosolymam coelestem refert. Nonnulli contendunt, psalmum 126. ex duobus fragmentis compositum esse putantes inter I. et II. stropham non adesse connexum logicum (Bickell, l. c. p. 90). Utique possibile est, ab initio fuisse duo carmina, quae serius ad usum liturg. in unum conjuncti fuerint. Sed quidquid sit, aliquis nexus logicus inter ambas strophas facile statui potest et quidem hoc modo: omnis benedictio in rebus humanis a Domino venit, sic etiam benedictio prolis.

Annotationes. V. 1. Sens.: bonus successus conatuum humanorum a benedictione Dei dependet. *aedificaverit, custodierit*=aedificat, custodit. *qui custodierit eam*=custos ejus.

V. 2. Sens.: si Deus non dat suam benedictionem, inutile vobis est summo mane surgere, ut labore vestro victum quaeratis; nam hoc esset agere contra voluntatem Dei, qui hominibus a se dilectis somnum concedit, ut a labore quiescant. *surgite*=(vanum est) surgere, vel=etsi surgatis. *postquam sederitis*=postquam quieveritis. *panis doloris*=panis labore et dolore comparatus. Ante *cum* non punctum sed comma poni debet. Juxta t. hebr. v. 2*b*. ita sonat: *frustra comeditis panem dolore partum, quem Dominus aeque dilecto suo dum dormit largitur.*

V. 3. Sens.: filii sunt donum Domini, proles est proemium Domini.

V. 4. Sens.: filii virorum robustorum sunt sicut sagittae in

manu viri fortis i. e. parentibus sunt in tutelam et protectionem. *potens*=vir fortis. *filii excussorum*, in hebr.: filii juventutis. *excussi* =vegeti, robusti, expediti (cf. s. Hieronym. epist. 34. ad Marcellam n. 4).

V. 5. Sens.: beatus vir, cujus desiderium obtinendi prolem potentem adimpletum est (juxta alios: cujus filii exspectationem ipsius non fallunt); nam certe victoriam reportabit quando contenderit cum adversariis suis in judicio (vel in comitiis populi). *in porta;* ad portas urbium judicia et comitia populi habebantur.

Sens. spirit. et usus liturg. In sens. spirit. ps. 126. refertur ad ecclesiam, quae est domus et civitas Dei (cf. v. 1) et ad filios ecclesiae qui sunt hereditas Domini et quasi fructus uteri materni ecclesiae, (cf. v. 3). Ex hac causa ps. recitatur in ritu benedicendi et imponendi primarium lapidem pro ecclesia aedificanda. Insuper ps. noster occurrit in officio B. V. Mariae ad Vesperas (Maria est mater spiritualis multorum filiorum cf. v. 3) et in festis ss. Virginum (anima virginalis tunc solum servatur sancta et intemerata, si Deus eam custodit cf. v. 1*b*).

Psalmus CXXVIII.

Argumentum. In I. str. v. 1-4. psalmista adhortatur populum Israel. ad exprimendam laetitiam, eo quod hucusque omnia molimina adversariorum auxilio divino irrita facta sunt; in II. str. v. 5-8. desiderium suum manifestat, ut etiam in futurum inimici populi electi confundantur, ad impotentiam redigantur et omni benedictione divina destituantur.

Annotationes. V. 1. *expugnaverunt me*=pugnaverunt contra me. *a juventute mea;* juventus populi Israelit. erat tempus commorationis in deserto cf. Jer. 2, 2. Ez. 16, 22. 60.

V. 2. *etenim non potuerunt mihi*=attamen non praevaluerunt mihi.

V. 3. Sens.: impii adversarii impugnaverunt et percusserunt me, longo tempore inique contra me egerunt. In t. hebr. v. 3. ita sonat: super dorsum meum arabant arantes, longos ducebant sulcos suos.

V. 4. Sens.: Dominus utpote judex justus impios adversarios populi sui percussit et humiliavit. *concidere* h. l.=caedere.

V. 5. *convertantur retrorsum*=recedant. *qui oderunt Sion*= adversarii reipublicae theocraticae.

V. 6. et 7. Sens.: ad impotentiam et ad nihilum redigantur. Gramen tectorum statim postquam excrevit arescit et in pulverem redigitur, quia humo et humiditate destituitur, ideo neque meti neque colligi potest et nullum habet valorem.

V. 8. Sens.: adversarii nostri omni benedictione divina destituantur. *et non dixerunt, qui praeteribant*=nec dicant (dicent) praetereuntes; in t. hebr. est praeter. convers.=futurum vel optativ. *et* h. l. forsitan significationem consecutivam habet=ita ut. *benediximus*=benedicimus.

Sens. typic. et usus liturg. In sens. spirit. ps. 128. ad persecutiones, quas ecclesia continuo pati debet, et ad certum interitum adversariorum ecclesiae referri potest. In liturgia ecclesiast. ps. Christo patienti (Dominica passion. in Tractu) et matri dolorosae (in offic. parvo) accommodatur; insuper etiam feria IV. ad Vesperas occurrit.

Psalmus CXXIX.

Occasio historica et sens. spirit. Hic ps. probabiliter tempore exilii babyl. ad solatium exulum compositus est. Auctor causam et miseriam captivitatis describit atque simul affectus poenitentiae et fiduciam redemptiouis spiritualis et corporalis exprimit. In N. T. hic ps. est clamor exulum filiorum Evae ex profunda miseria hujus vitae; ab ecclesia ps. in ore quoque animarum ponitur, quae in purgatorio detinentur et exulare debent a patria coelesti, ad quam toto corde anhelant.

Argumentum. In str. I. v. 1-2. continentur preces, in II. str. v. 3-4*a*. habetur confessio propriae culpae et divinae misericordiae, in III. str, v. 4*b*-6. est protestatio firmissimae fiduciae in auxilio divino, in IV. str. v. 7-8. ratio hujus fiduciae indicatur.

Annotationes. V. 1. *de profundis*=de profunditate miseriae; profunditas seu abyssus aquarum saepe est imago miseriae profundissimae cf. ps. 41, 8. 68, 3. 15.

V. 2. In v. 2*b*. idem fere exprimitur ac in v. 2*a*.

V. 3. *si iniquitates observaveris*=si iniquitates ad severum examen vocaveris et diligenter scrutatus fueris. *quis sustinebit*= quis consistere poterit in judicio?

V. 4. Ab initio suppleri debet: hoc non facies scil. judicium severum, quia etc. *propter legem tuam*; Israelitae totam spem et fiduciam suam posuerunt in lege divina, qua voce totam oeconomiam salutis intelligebant cf. Rom. 10, 4. Gal. 3, 23 sq. *sustinui te* = spero in te. *sustinuit anima mea* = ego spero. *in verbo ejus* = in promissione Dei.

V. 6. *a custodia matutina* = a tempore aurorae. Notandum est, veteres divisisse noctem in 3 vel 4 custodias seu vigilias, quarum quaelibet 4 vel 3 horas complectebatur; ultima nominabatur custodia matutina. Denominatio *custodia* ortum ducit ex eo, quod custodes seu vigiles civitatum per ternas aut quaternas horas munere suo fungi debuerunt, quo tempore elapso iterum alii succedebant. Sens. v. 6. juxta t. latin.: Israel per totam diem i. e. semper in Deo sperare potest. S. Hieronym. t. hebr. ita vertit: *anima mea ad Dominum a vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam*. T. masoreth. ita sonat: *anima mea expectat Dominum magis quam custodes tempus aurorae.*

V. 7. *copiosa apud eum redemptio;* in sens. proximo et imperf. intelligitur redemptio ex captivitate babyl., in sensu autem pleno et perfecto redemptio a servitute diaboli.

V. 8. *ex omnibus iniquitatibus ejus*; ex his verbis elucet, h. l. magis de redemptione spirituali a servitute peccati agi, quam de liberatione corporali.

Usus liturg. Ps. 129. pertinet ad poenitentiales, ideo cum reliquis ps. poenitentialibus recitatur tempore Quadragesimae in choro post officium feriae VI. Insuper hic ps. adhuc recitatur: 1) in festo nativitatis Domini et ss. cordis Jesu (cf. v. 7. et 8); 2) in precibus ferialib. tempore Quadrag. et Advent. (temp. poenitentiae cf. v. 1-4); 3) in officio defunctorum et in sepultura adultorum (cf. v. 1-4); 4) in praeparatione sacerdotis ad missam (sacerdos celebraturus indulgentiam peccatorum deprecari debet cf. v. 3. 4. 7); 5) feria IV. ad Vesperas.

Psalmus CXXXI.

Occasio histor. et auctor psalmi. Quando et a quonam hic ps. compositus sit, nullibi indicatur. Ideo diversae de hac re exstant sententiae. Nonnulli (Origenes, Theodoretus, Thalhofer etc.) putant, psalmum nostrum derivari ex tempore exilico, alii contendunt, eum

tempore postexilico occasione reaedificationis templi exaratum esse. Attamen sententia probabilior est, psalmum jam tempore Salomonico et praecise occasione translationis arcae foederis in templum recens aedificatum esse compositum; haec sententia ex argumento psalmi collato cum II. Paral. cap. 5. confirmatur. Et quia vv. 8-10. in II. Paral. 6, 41 sq. uti verba Salomonis allegantur conjici licet, ipsum Salomonem esse auctorem, eo magis quia totum argumentum psalmi ingenio Salomonis valde convenit. Alii psalmum Asapho, praefecto cantorum in sanctuario et fidelissimo amico Davidis et Salomonis attribuunt cf. ps. 49. Serius ps. noster canticis graduum seu peregrinationis annumeratus est, quia in eo speciali modo amor sanctuarii Dei exprimitur.

Argumentum. Psalmus in duas partes dividi potest; in I. p. v. 1-10. commemoratur votum regis David, in II. p. v. 11-18. indicantur promissa Dei. Prima pars iterum in duas strophas dividitur; in I. str. v. 1-5. psalmista commemorat firmissimum et sanctissimum propositum regis David aedificandi templum in honorem Dei; in II. str. v. 6-10. nomine totius populi laetus enarrat, votum regis theocratici ad executionem esse deductum scil. pro arca Domini locum s. seu templum esse praeparatum, et Deum invitat, ut ingrediatur locum sanctuarii eumque precatur, ut sacerdotes justitia et regem benedictione impleat. In secunda parte tres strophae distingui possunt; in I. str. v. 11-12. psalmista commemorat promissiones Dei factas Davidi ejusque familiae; in II. str. v. 13-16. adducit promissiones divinas factas Sioni seu Hierosolymae; in III. str. v. 17-18. renovantur promissa domui Davidicae facta. In hoc ps. diversi loquentes inducuntur scil.: *a)* psalmista v. 1-2; *b)* David v. 3-5; *c)* populus v. 6-10; *d)* psalmista v. 11*a*; *e)* Deus 11*b*-12; *f)* psalmista v. 13; *g)* Deus v. 14-18.

Sensus Messian. In hoc ps. vaticinium prophetae Nathan de aeterna duratione regni Davidici II. Reg. 7, 1-17. simili modo sicut in ps. 88. commemoratur et explicatur; ideo etiam ps. 131. in sensu saltem typico ad Messiam referendus est. Promissa Dei Davidi ejusque familiae et urbi s. facta tantum in Christo, filio David per eminentiam, et in ipsius regno scil. in ecclesia N. T. plenum et perfectum complementum habent cf. Luc. 1, 32 sq.

Annotationes. V. 1. *memento Domine David;* dictum emphaticum = memento meritorum Davidis et promissionum, quae ei fecisti cf. II. Paral. 6, 42 sq. *mansuetudinis* = pietatis; in t. hebr.: sollicitudinis.

V. 3. *si introiero*=non introibo; formula jurisjurandi apud Hebraeos usitata reticita apodosi; suppleri debet: tunc Deus me puniat vel simile quid.

V. 5. *requiem temporibus meis*=*palpebris meis dormitationem;* cf. Prov. 6, 3 sq.; in t. hebr. istud membrum deest. *donec inveniam locum Domino*=donec sanctuarium aedificavero cf. Act. 7, 46. Sens. v. 3-5. est: summam operam dabo pro aedificatione templi cf. I. Paral. 29, 2 sqq.

V. 6. *audivimus eam*=audivimus de ea scil. arca foederis. *Ephrata*=nomen uxoris Calebi; filius istius Ephratae nomine Hur, possedit Bethlehem et regionem circumjacentem, ideo tum Bethlehem tum tota regio vicina dicitur Ephrata cf. I. Paral. 2, 19. 4, 4. Gen. 35, 19. Mich. 5, 2. Ruth 4, 11. *campus silvae*=Kirjatjearim (urbs silvae)=oppidum non longe a Bethlehem distans, quo arca Domini a Philisthaeis restituta per multos annos asservata est, donec a Davide in montem Sion transferretur cf. I. Paral. 2, 50. I. Reg. 7, 1 sqq. II. Reg. 6, 1 sqq, Alii voce *Ephrata* intelligunt tribum Ephraim, quia arca tempore Judicum in Silo oppido tribus Ephraim asservabatur. Juxta istos, sens. v. 6. esset: arcam, quam audivimus antea fuisse in regione Ephraimitica (I. Reg. 4, 4), nos invenimus in Kirjathjearim (I. Reg. 6, 14 sqq.).

V. 7. Sens.: quia arca Domini, quae olim in *campis silvae* per aliquod tempus asservabatur. nunc demum translata est in templum novum, ideo illuc veniemus et coram ea Deum adorabimus. *in loco, ubi steterunt pedes ejus*=ad scabellum pedum Domini, qua phrasi arca significatur cf. ps. 98, 5.

V. 8. *in requiem tuam*=in templum cf. II. Paral. 6, 41. *arca sanctificationis tuae*=arca sancta tua.

V. 9. Cf. II. Paral. 6, 41. *sacerdotes tui induantur justitia* scil. ut in templo novo ministerium suum digno modo peragere possint. *sancti tui exultent*=Israelitae Deo sancti laetentur; in loco parallel. II. Paral. 6, 41. legitur: *sancti tui laetentur in bonis* i. e. gratiis a Deo sperandis.

V. 10. Cf. II. Paral. 6, 42. Petitur, ut Deus intuitu meritorum Davidis benevole agat cum ipsius filio cf. III. Reg. 11, 12. *non avertas faciem Christi tui*=ne repellas faciem Christi tui; vel=ne avertas faciem a Christo tuo. Sub *Christo Domini* proxime probabiliter Salomon intelligitur, in sensu typico autem Christus Salvator.

V. 11. Indicatur ratio, ob quam psalmista exauditionem petitionis in v. 10. enuntiatae sperat. *juravit Dominus;* juramento Davidis in v. 2. correspondet juramentum Domini in v. 11. *non frustrabiter eam*=Deus promissionem suam non faciet irritam. *de fructu ventris tui....*=filius tuus erit successor in regno tuo cf. II. Reg. 7, 12 sqq. ps. 88, 36 sqq. Act. 2, 30. Sens. proximus horum verborum ad Salomonem, sens. typicus ad Christum referur.

V. 12*a*. *testamentum*=foedus initum inter Deum et populum Israelit. resp. domum Davidicam. *testimonia*=praecepta.

V. 12*b*. Haec divina promissio quoad Christum inconditionata erat, quoad reliquos filios David autem conditionata cf. III. Reg. 2, 4 I. Paral. 28, 6. 7. Act. 1, 32 sq.

V. 13. In vv. 11. et 12. sermo est de electione familiae Davidicae ad thronum regium, h. l. de electione Sionis in locum sacrum.

V. 14. Haec verba in sensu pleno non valent de Sione materiali, sed ad Sionem spiritualem i. e. ad ecclesiam Christi referri debent cf. ps. 2, 6. Mich. 4, 1 sq.

V. 15. *viduam*, in t. hebr.: victum, in 70: *θήραν*=omne genus obsonii et ferarum et piscium et avium, quae retibus vel laqueis capiuntur. In cod. Alex. legitur: *χήραν*, unde in Vulg. ponitur *viduam*. H. l. indicatur abundantia bonorum obtinenda in urbe Sion; in sens. typ. intelliguntur bona spiritualia in ecclesia obtinenda.

V. 16. Deus promittit, se desiderium populi in v. 9. enuntiatum adimpleturum esse. *salutari*=salute seu gratia.

V. 17. Deus promittit, se petitionem in v. 11. contentam exauditurum esse. *illuc*=illic seu ibi. *producam cornu David*, in t. hebr.: *germinare faciam Davidi cornu*=dabo Davidi magnam potentiam; juxta alios (cf. Patrizi, l. c. p. 301 sq.)=exoriri faciam ex familia Davidica regem potentissimum (cornu=proles potens cf. ps. 88, 25). *lucerna*=salus, prosperitas; juxta alios=gloria familiae Davidicae obveniens a posteritate gloriosa praesertim a Messia ejusque regno cf. II. Paral. 21, 7. In s. Script. nonnunquam per metaphoram vir potens *cornu* (Dan. 7, 24), et vir gloriosus *lucerna* dicitur (Joan. 5, 35); ideo forsitan vocabula: *cornu, lucerna* jam immediate prolem Davidis potentem et gloriosam indicant scil. in sens. imperf. Salomonem in sens. pleno Christum.

V. 18. *ejus*, juxta nonnullos Davidis; juxta alios=Salomonis resp. Christi. *sanctificatio mea*=sanctitas mea; in t. hebr. est: *diadema ejus (micabit)* scil. diadema regium cf. ps. 88, 40.

Usus liturg. Propter sensum typicum ps. 131. recitatur in festo nativitatis Domini (Chr. neonatus est filius David secundum carnem). Insuper ps. noster etiam in II. Vesper. Confessoris Pontificis occurrit (praesertim propter vv. 9. 16. 18).

Psalmus CXXXVI.

Auctor et occasio histor. In t. hebr. hic ps. inscriptione caret; in Vulg. legitur: *psalmus David, Hieremiae;* in 70 (cod. Vat.): *τῷ Δαυίδ, Ἱερεμίου*, vel (Polygl. Complut.): *διὰ Ἱερεμίου* = ps. Jeremiae ad modum psalmorum Davidicorum. Ergo si haec inscriptio authentica est, ps. noster a propheta Jeremia in exilio babyl. compositus est. Argumentum psalmi auctoritati inscriptionis non obstaret. Alii istam inscriptionem ita explicant: hic ps. (spiritu prophetico) a Davide compositus et per Jeremiam exulibus in Babyloniam transmissus est. Sed haec explicatio non videtur esse probabilis. Theodoretus (in comment.) psalmum ad tempus postexilicum relegat dicens: *qui captivi fuerant abducti et reditum consecuti ea enarrant, quae Babylone acciderant.* Hanc sententiam etiam plures exegetae recentiores sequuntur.

Argumentum. In I. parte v. 1-4. psalmista tristem conditionem Judaeorum in exilio degentium describit; in II. p. v. 5-6. summum amorem Sionis et desiderium illuc revertendi exprimit; in III. p. v. 7-9. Deum precatur ut adversarios populi theocratici praesertim Edomitas et Babylonios humiliare et punire velit.

Annotationes. V. 1. Pro praeterito praesens ponendum est. *super flumina* = ad ripam fluminum.

V. 2. *in salicibus* = ad salices. *in medio ejus* = in medio terrae Babylon. *organa* = instrumenta musica = cytharae.

V. 3. *interrogaverunt nos verba cantionum* = postulaverunt a nobis cantum hymnorum.

V. 4. *quomodo cantabimus* = quomodo possumus cantare? *canticum Domini* = canticum in honorem Domini compositum. Judaei putaverunt, in terra aliena non tantum oblationem sacrificiorum, sed generatim totum cultum publicum prohibitum esse.

V. 5. *oblivioni detur* = pereat.

V. 6. *adhaereat lingua mea faucibus meis* = perdam facultatem loquendi. *si non proposuero....* si non habeo Jerusalem tanquam objectum summae laetitiae meae.

V. 7. *memor esto filiorum Edom in die Jerusal.*=memento Edomitis diem Jerusalem=castiga Edomitas propter mala Hierosolymae illata. *dies Jerusalem*=tempus, quo Jerusalem destructa est. Edomitae erant socii Babyloniorum in excidio Hierosolymae. *exinanite in ea*=destruite eam, seu=destruite omnia in ea.

V. 8. *filia Babylonis*=ipsa urbs vel incolae ejus. *retributionem tuam*=modum agendi, quem contra nos adhibuisti.

V. Haec verba magis prophetica sunt, quam imprecatoria cf. Is. 13, 16. *tenebit*=apprehendet.

Sens. spirit. et usus liturg. Juxta sensum spiritualem in ps. 136. odium voluptatum hujus mundi, in quo *exules filii Evae gementes et flentes* commorantur, et simul desiderium patriae coelestis exprimitur. Tali spiritu animati hunc ps. feria V. ad Vesperas recitare debemus.

Psalmus CXXXVIII.

Auctor. Ps. 138. juxta inscriptionem est Davidicus; sed nonnulli exegetae contendunt, nomen Davidis tantum ex errore collectoris psalmorum huc intrusum esse: Alii putant, psalmum continere quidem reminiscentias et fragmenta Davidica, quae autem serius ab alio auctore amplificatae sint. Attamen nulla afferri potest ratio, quae authentiam inscriptionis evertere valeat; nam psalmus noster tanto auctore dignus est et apertam similitudinem habet cum aliis psalmis Davidicis. David psalmum probabiliter eo tempore, quo Saul eum persecutus est, et praesertim contra calumnias adversariorum composuit. Alii referunt psalmum ad initium regni Davidici vel ad rebellionem Absalomicam.

Divisio et argumentum. Ps. 138. in quatuor strophas dividitur, quarum unaquaeque sex versus habet. In I. str. v. 1-6. celebratur Dei omniscientia ; in II. str. v. 7-12. describitur Dei omnipraesentia et immensitas; in III. str. v. 13-18. psaltes Deum laudat, quia cognoscit corda et renes et omnes res absconditas; in IV. str. v. 19-24. protestatur, se nulllam unquam habuisse partem cum Dei adversariis. Hic ps. est unus ex pulcherrimis tum quoad sublimitatem argumenti tum quoad elegantiam linguae. Psaltes regius non tantum nomine proprio et pro persona sua loquitur sed generatim nomine omnium fidelium cultorum Dei, uti ex generali pertractatione thematis elucet.

Annotationes. V. 1. Sens.: Domine tu exploras me ideoque cognoscis me.

V. 2. Sens.: tu nosti omnes actiones meas et quidquid fecerim. *sessionem meam*, in t. hebr.: *sedere meum. resurrectionem meam*=surrectionem meam, in t. hebr.: *surgere meum* seu *stare meum.*

V. 3. Vers. 3*a*. adhuc ad v. 2. pertinet. *de longe*=de longinquo, seu longo tempore ante. *semitam meam*=ambulationem meam (ambulare meum). *funiculum*=cubationem; in gr.: σχοῖνος, quod proprie juncum significat, deinde funem vel stoream; h. l. designat stoream=stratum.

V. 4. Vers. 4*a*. pertinet ad v. 3. *praevidisti*=jam in antecessum novisti. *non est sermo in lingua mea,* suppl.: quem tu non cognoscas.

V. 5. *novissima et antiqua*=futura et praeterita. *posuisti super me manum tuam*=speciali modo me protegis.

V. 6*a*. Sens.: mirabilior est scientia tua, quam ut ego eam assequi possim. *mirabilis ex me*=nimis mirabilis mihi.

V. 6*b*. Sens.: scientia tua nimis sublimis est, ita ut ego eam capere non valeam. *confortata est*=tam magna est. *non potero ad eam*=non possum pertingere ad eam.

V. 7. Sens.: quonam ire debeo, ut effugiam praesentiam Dei? nullibi praesentiam Dei effugere possum. A v. 7-10. est locus classicus ad probandam Dei immensitatem et omnipraesentiam (ubiquitatem). Cf. Am. 9, 2.

V. 8. *in infernum*=in locum, quo animae defunctorum detinentur.

V. 9. Sens.: si quasi alis aurorae volavero ab extremo oriente usque ad extremum occidentem. *diluculum*=oriens. *mare* (mediterraneum)=occidens. *extrema maris*=extremus terminus occidentis.

V. 10. Sens.: etiam ibi potentia et providentia Dei reget me.

V. 11*a*. *et dixi*=et si dixero. *conculcabunt me*=contegent seu abscondent me.

V. 11*b*. Sens.: nox abscondet delicias meas i. e. voluptates illicitas.

V. 12. Sens.: apud Deum non datur distinctio tenebrarum et lucis, nam tum in tenebris tum in luce i. e. noctu diuque omnia eodem modo videt. *quia*=etiam. *non obscurabuntur a te*=non obscurae sunt tibi. *illuminabitur*=lucida est.

V. 13. *possedisti renes meos* scil. scientia tua, a. v. tu novisti affectus meos. Sens. v. 13*b*.: protector meus es tu a nativitate mea.

V. 14. *terribiliter*=mirum in modum. *magnificatus*=magnificus. *anima mea cognoscit nimis*=ego hoc omnino cognosco.

V. 15. Sens.: nullum ex meis membris tibi occultum est, quia ea omnia formasti in utero matris *(in occulto). substantia mea*= corpus meum. *in inferioribus terrae*=in visceribus matris.

V. 16. *imperfectum meum*=formam meam imperfectam, embryonem meam i. e. me in statu embyonali. *in libro tuo omnes scribentur*=in libro tuae scientiae et providentiae omnes conscribuntur, *id est, quia habes apud te exemplaria seu ideas omnium, quo modo pictor vel sculptor scit ex informi materia, quid futurum sit, quia videt exemplar* (Bellarmin.). *dies formabuntur et nemo in eis*=dies praedestinati sunt prius quam unus eorum esset; juxta alios=(in libro tuo omnes conscripti sunt), qui quotidie formantur, jam tunc quando nemo adhuc ex eis existebat *(dies*= quotidie). Bickell (l. c. p. 96) hunc v. inserto sticho emendat; text. ab eo emendatus ita verti potest: *omnes dies mei praeformati et in libro tuo conscripti sunt; (coram te erant omnes filii hominum), cum nondum unus erat in vita.*

V. 17. Sens. juxta Vulg.: amici tui a me valde honorantur, valde firmus est eorum principatus. T. hebr. ita sonat: *et quam difficiles intellectu sunt mihi cogitationes tuae, quam magna est summa earum.*

V. 18*a*. Sens. juxta Vulg.: enumero amicos tuos et invenio eos esse numerosiores arena; t. hebr. ita sonat: si eas (cogitationes) numerare vellem, numerosiores sunt arena.

V. 18*b*. Sens.: evigilo (surgo), et adhuc sum apud te.

V. 19. *si occideris*=utinam occideres. *declinate*=discedite.

V. 20. Sens.: quia cogitatis et dicitis: justi in vanum accipiunt civitates Dei, nam mox eas iturum occupabimus.

V. 21. Sens.: abhorreo adversarios tuos, et propter inimicos tuos aerumna conficior.

V. 23. *scito cor meum*=scrutare cogitationes meas. *interroga me*=explora me.

V. 24. *si*=num. *via iniquitatis*=modus agendi iniquus. *via aeterna*=via justitiae (in oppositione ad viam iniquitatis), quae perducit ad bona aeterna et ad vitam aeternam.

Usus liturg. Si hunc ps. feria VI. ad Vesp. recitamus toto animo omnipraesentiam et providentiam Dei considerare indeque corollaria practica pro vita spirituali deducere debemus. Ps. 138.

etiam in II. Vesp. Apostolorum occurrit praesertim propter vv. 1. 2. et 17; vv. 2. 6. et 18. in missa Dominicae paschalis ad resurrectionem Christi accommodantur.

Psalmus CXL.

Argumentum. In I. parte v. 1-5. David Deum rogat, ut ipsius preces gratiose suscipiat ipsumque adjuvet, ne exemplo impiorum adlectus incidat in peccata oris et operis; in II. parte v. 6-10. precatur, ut Deus ipsi opem ferat contra impugnationes adversariorum atque insidias eorum in propriam ipsorum perniciem vertat.

Annotationes. V. 1. *clamavi*=clamo.

V. 2. Sens.: accipias quaeso orationem meam sicut sacrificium incensi et sicut oblationem vespertinam. *dirigatur in conspectu tuo*=ascendat ad te. *incensum*=sacrificium incensi, quod quotidie mane et vespere in altari thymiamatis offerebatur. Probabiliter David tunc temporis procul degebet a sanctuario, ita ut tantum preces fundere non autem sacrificia externa offerre potuerit.

V. 3. *ostium circumstantiae*=porta circumstans seu circumdans i. e. claudens labia (genit. substantivi pro adject.); juxta alios=porta firma (περιοχή, circumstantia=munimentum), prout habetur in vers. Coptica *(janua firmitatis)* cf. Raffl, l. c. p. 249. In t. hebr. v. 3*b*. ita sonat: *vigila ad ostium labiorum meorum.*

V. 4. Sens.: ne permittas, ut cor meum inclinet ad res malas faciendas et ad excusanda peccata sicut faciunt homines iniqui; nam nolo habere partem in rebus ab illis electis (in peccatis eorum). Punctum ante *cum* delendum et I. membrum versus cum II. stricte conjungendum est. *verba*=res, ad analogiam vocis hebr. dabâr, quae tum verbum tum rem vel factum significare potest. *excusare excusationes in peccatis*=excusare peccata variis praetextibus. *cum hominibus*= una cum hominibus, seu: sicut homines. *non communicabo cum electis eorum*, in t. hebr.: non comedam de cibis electis eorum= nullam societatem cum eis habeo.

V. 5. Sens.: benevolam correptionem ex parte justorum non recuso, cum peccatoribus autem nolo habere commercium, nam adhucdum oratio mea directa est contra cupiditates eorum: *oleum peccatoris....*; alluditur ad morem Hebraeorum ungendi caput hospitum in signum amicitiae et laetitiae cf. ps. 22, 5. *in beneplacita eorum*=contra ea, quae illis placent i. e. peccata.

V. 6. Sens.: duces eorum pereunt illisi petrae et experiuntur, quod verba mea potentia et efficacia sunt. *absorpti sunt*=absorbentur=pereunt; juxta alios=praecipitantur. S. Hieron. vertit: *sublati sunt juxta petram. judices eorum*=principes seu judices impiorum. *quoniam potuerunt*=quod potentia sunt. Bickell (l. c. p. 97) textum hebr. v. 5c-6. aliquatenus emendat et adnotat: *sensus est, quosdam hostium primores oratione poetae contra eos vix finita morte praecipitii punitos esse, unde apparuerit preces ejus Deo placuisse.*

V. 7. Sens.: sicut crassae glebae terrae sparsae sunt super terram, ita ossa nostra versus orcum i. e. cadavera nostrorum ab hostibus interfectorum sparsa sunt super terram. *ossa nostra;* in nonnullis codicib. graecis legitur: *τὰ ὀστᾶ αὐτῶν;* juxta hanc lectionem ossa hostium intelligenda essent.

V. 8. Sens.: in te Domine fiduciam meam colloco, ne permittas, ut vita mihi adimatur. *quia*=sane, certe.

V. 9. Sens.: praeserva me a laqueis, quos impii adversarii mihi ponunt. *a scandalis*=a tendiculis.

V. 10. Sens.: ipsi adversarii mei incident in perniciem, quam mihi parare volunt, ego autem singulari modo a Deo protegar donec pericula evaserim. *in retiaculo ejus*=in retiaculum suum; juxta alios *ejus* se refert ad Deum, ideo=in retiaculum a Deo eis positum. *singulariter sum ego*, suppl.: protectus a Deo. *donec transeam*=donec pertransierim periculum. S. Hieron. t. hebr. ita vertit: *incident in rete ejus impii simul, ego autem transibo.* Bickell (l. c. p. 97) ad II. membrum supplet vocem *shalêm* (salvus) et ita vertit: incident in rete suum impii simul, ego autem sim salvus, donec transierim.

Usus liturg. In ecclesia primitiva hic ps. quotidie in officio vespertino recitabatur. S. Chrysost. (in comment. ad ps. 140. n. 1) ad rem dicit: *hujus ps. verba pene omnes sciunt et per omnem aetatem continuo canunt. Patres tanquam salutare aliquod pharmacum et peccatorum piaculum, ut is diceretur, constituerunt, ut quaecunque sordes aut maculae fuerint susceptae eas cum ad vesperam pervenerimus per spirituale hoc carmen abstergamus.* In hodierno officio ps. noster occurrit: feria V. in coena Domini, in Parasceve, in commemorat. pass. Domini ad Vesperas et accommodatur Christo patienti et quidem juremerito quatenus nempe David persecutiones patiens typus erat Christi patientis. V. 2-4. recitantur

in missa solemni durante incensatione altaris post offertorium, qua occasione verbis hujus ps. Deum precamur, ut orationem nostram gratiose accipiat et labia nostra, quibus orationem proferimus, sancta et munda a peccato custodiat.

Psalmus CXLII.

Auctor et occasio histor. Juxta inscriptionem tum in t. hebr. tum in vers. Alex. et Vulg. auctor hujus ps. est David. De auctoritate histor. inscriptionis non est dubitandum, nam argumentum et tota structura psalmi ingenio Davidis apprime convenit. Occasio remota, quae Davidem ad hunc ps. componendum excitavit, erat ipsius poenitentia de peccatis adulterii et homicidii; occasio proxima autem seditio Absalomi, uti ex inscriptione in vers. Alex. et Vulg. elucet, quae inscriptio considerato argumento psalmi authentica esse videtur, etiamsi haec pars tituli in hodierno t. hebr. desideretur.

Argumentum. Ps. 142. in duas partes dividitur, quae in t. hebr. voce *selâ (=pausa?)* inter se discernuntur. In I. p. v. 1-6. psaltes regius ab initio preces ad Deum emittit et peccatorum indulgentiam petit (v. 1-2)), porro describit angustias suas externas et internas (v. 3-4), deinde recogitat tempora antiqua et refugium apud Deum quaerit (v. 5-6). In II. p. v. 7-12. precibus renovatis gratiam Dei novasque vires ad ambulandum in vita nova, in via justitiae exorat et firmam suam fiduciam in auxilio divino ponit.

Annotationes. V. 1. *in veritate tua*=juxta fidelitatem tuam. *justitia*, scil. qua Deus peccatores justificat=misericordia cf. ps. 50, 16.

V. 2. Sens.: ne rigore justitiae de me judices, nam non datur homo, qui culpa vacuus sit coram Deo.

V. 3. *persecutus est animam meam*=vitam mihi adimere conatur. *humiliavit in terra vitam meam*=in summum vitae periculum me adducit. *collocavit me in tenebris sicut mortuos saeculi* =coactus sum in locis obscuris me abscondere ideoque illis assimilatus sum, qui jam ante saeculum mortui sunt.

V. 4. Cf. ps. 41, 7. 37, 11. *super me*=in me.

V. 5. Psalmista recordatur beneficia Dei patribus et sibi ipsi tempore praeterito collata indeque solatium et fiduciam haurit.

V. 6. Sens.: expando ad te manus meas in oratione; sicut terra arida pluviam, ita anima mea sitit te et gratiam et auxilium tuum cf. ps. 41, 2. 83, 3.

V. 7. *deficit spiritus meus*=spiritus meus conficitur. Sens. v. 7*b*.: ne subtrahas mihi gratiam tuam, nam tunc similis fierem descendentibus in sepulchrum.

V. 8*a*. Sens.: statim certum me redde de obtenta gratia tua, nam in te confido cf. ps. 50, 10. *mane*=statim, velociter.

V. 8*b*. Cf. ps. 31, 8. *viam, in qua ambulem*=modum agendi. *levavi*=elevo.

V. 10. Cf. ps. 50, 12-14. *in terram rectam*=in terram securam vel in patriam; juxta alios=in semitam rectam seu ad vitam rectam cf. ps. 24, 12. 26, 11.

V. 11. *vivificabis me*=in vita me conservabis. *in aequitate tua*=propter justitiam tuam; hoc vocabulum ad II. membrum trahi debet, ideo punctum ante *educes* delendum est.

V. 12. *quoniam ego servus tuus sum* cf. ps. 17, 1. David qua rex theocraticus erat servus Dei per eminentiam, vicarius et minister Dei in theocratia; ideo ipsius inimici etiam inimici Dei et theocratiae erant.

Usus liturg. In liturgia ecclesiastica ps. 142. est ultimus inter psalmos poenitentiales. In Laudibus feriae VI. per annum et in Parasceve Domini ps. noster ad Christum patientem et agonizantem refertur (cf. vv. 3. 4. 6. 10. 11).

Corrigenda.

					Errata	*Corrige*
Pag.	3.	lin.	5.	adversus		cum
»	4.	»	18.	resita		res ita
»	4.	»	23.	pumiat		puniat
»	9.	»	4.	sheôl		sh^{e}ôl
»	15.	»	17.	earum		eorum
»	22.	»	24.	20		28
»	23.	»	6.	15		20
»	»	»	18.	33		35
»	33.	»	16.	post *David* lege		=a
»	59.	»	9.	majestatum		majestatem
»	69.	»	5.	usitatos		usitatas
»	115.	»	14.	persecutionis		pesecutiones
»	127.	»	18.	thefillâ		t^{e}fillâ
»	153.	»	28.	*κνῖφες*		*σκνῖφες*
»	164.	»	22.	Noemeniis		Neomeniis

Reliquos errores typographicos levioris momenti et facile cognoscibiles benevolus lector ipse corrigat.